ARCHIPELAGUS
TITULORUM
SRZENIAWA
Ad quod omnia purpurarum flumina secundô intrant alveô.

In

CELSISSIMO SACRI ROMANI JMPERIJ PRINCIPE

Illustrissimo Excellentissimo

DOMINO

D. GEORGIO

Comite in Wisnicz Jarosław & Koniecpol

LUBOMIRSKI

PALATINO Sandomiriensi

Sandecensi Jahorlicensi &c.

CAPITANEO

Cum Palatini Honoris littus attingeret, trabearum alto sublime.

Ab Obligato tot Nominibus Sandomiriensi Collegio Societatis J E S U

Profundo cultu adoratum.

ANNO

Quo è mari gratiarum Vitæ fons erupit M DCC XXX.

SANDOMIRIÆ Typis S. R. M. Col: Soc: JESU.

In Stemma Principis Domûs LUBOMIRSCIANÆ.



Sidera cum volvit Sandomirienſia lymphis
SRZENIAVA, Eridani nomen in axe tenet.
Quando SENATORES numerat, quot in amne pyropos
Nomine non vano gemmifer Hermus erit.
Sole PALATINO te poſtquam fulget in ortu,
Est titulis altum, purpureumq; mare.

CELSISSIME ILLUSTRISSIME EXCELLENTISSIME PALATINE

*P*Urpuræ Tuæ aurora ILLUSTRISSIME PALATINE, poſtquam toti Poloniæ ſoles attulit fortunatos, poſt quam avitis Palatinatûs Sandomirienſis ſideribus plurimam accendit ſerenitatem, nobis quoq; diem dixit; ut primos in trabea ortus tuos adoraremus. Procumbimus itaq; ad pedes tuos eò religioſiùs Phœnicenſibus, quò tu in Palatini honoris Zodiaco non uno ſole meliùs exoreris. Quis enim ſe in gaudia non effundat? cum SRZENIAWA tuus exundat titulis. Quis Principem dignitatem tuam non attollat celſiſſimè? cum tu montem aſcendis Palatinum. Quis tandem omnem ſtyli florem in tuos cultus non colligat? cum Purpurarum tuarum Roſæ plantant Florentiam Sandomiriæ. Admittes itaq; Senator Ampliſſime inter millia gratulantiũ tibi numerũ Oratoriũ, eum applaudentibus Palatinatûs ſtellis, noctes atticas; Deniq; ſub ſigno militantium honori tuo concedes ſcribi Societatem JESU, quæ in aciem deſcendit eruditam, ut certet tecum affectibus. Fateor equidem Domûs tuæ celſitudinem altiùs aſſurgere, quam pennæ oratorum poſſint e-

volare, gravis Oratori materia LUBOMIRSCIOS *laudibus attollere, quamvis Hercules esset stylus. Tui unius exarandæ Panegyri, Orbis in paginam evolutus, vix punctum esset dictionis. Hæc enim est Ducalis gentis tuæ gloria, etiam a Principibus Oratorum vix laudari posse; hoc* SRZENIAVÆ *profundum, cui mare verborum vix guttam afferat elogiorum; tanta Virtutum tuarum seges, quæ omnibus eloquentiæ campis compræhendi, a Centimanis Tulliorum colligi non possit. Dabis itaq; veniam temeritati styli* Princeps clementissime, *qui cum laudum tuarum nequeat scrutari Oceanum, dulce naufragium velut in Euryppo Aristoteles non verebitur. Quanquam rotunda omnis periodus, cui tu gemma Senatorum argumentum, Aurea oratio, quæ tanquam Midam encomia tua attigerit; stylus ut Platonis melleus, si majorum tuorum ceris condiatur; omne tandem regale folium laudationis tuæ, quod te in corona senatorum eminere narraverit. Ut itaq; majestatem induat munus hoc Scholasticum, te tibi in pagina offerimus, sed ut solem brevi Apellis tabulâ arctatum, ut Homerum in nucleo, ut Regnis æstimatum unionem in vili concha. Obligatæ Societatit JESU, domui & nomini tuo vectigal istud literiarum, eò libentiùs accipies, quod de gloriæ tuæ solvimus thesauro. Ut vero leve folium citius ad plantas tuas decidat, votis illud oneramus. Ament te Superi, non invideant nobis. Palatina purpura induat canitiem; a senio quoq; annorum Sector adoreris, hoc est post Mitram, Coronam sæculorum emerito imponas Capiti.* Ita vovet.

CELSISSIMO ILLUSTRISSIMO Nomini
& Honori Tuo
perenniter divinctum

Collegium Sandomiriense Soc: JESU.

AUREUS
HYDASPES
SRZENIAWA LUBOMIRSCIORUM,
GEMMIS SENATORUM,
Et Viris Dives pretiosis.

NON invidemus Indiis Gangem Hydáspēq;, non Tagum Lusitaniæ non Arabiæ mare Erythreum unde pluresnè fabulæ divites quàm fluctus pretiosi emerserint, problema esto. Habet Polonia LUBOMIRSCIORUM SRZENIAWAM, hic quot homines, tot gemmas Coronarum, quot viros, tot pretia regnorum, quot LUBOMIRSCIOS, tot Principes aureos effudit. Unic9

 iste

iſte amnis Unionum Patria eſt, quodvis SRZENIAvæ littus, ora Piſcaria, & quaſi in Minervæ cunis infantes educaret, imbres gemmeos propinat naſcituris. Undenam ſeptem oſtia Nili emerſerint? inquirant alii; Te nulli parvum licuit SRZENIAWA videre. Fluvius enim iſte in fonte ſuo non uno diademate coronatus, non uni pingendæ purpuræ piſcatus murices, per omnes tandem Regum fluxit venas; hoc eſt in primo ſui alveo ita navigabilis, ut non unius Cæſaris fortunam proveheret, Druſorum enim ſangvis in hoc flumine altum egit, Imperatores dederunt nomen, regna plurima affinem ripam. Si conſangvinitatis arborem in hac gente requiritis? Julij Cæſaris, & Auguſti Octavii ſceptra; Caii Claudiiq; ſupremi Romæ faſces hac de ſtirpe creverunt; ut nemo ambigat, vel in plantam Domûs iſtius integram Honoris ſylvam exciſam; in familiæ ramos omne Dodonæ nem9 abiiſſe. Cum vero arctari ſe ſentiret Druſorum titulis Roma, unum donavit Poloniæ, & ampliſſimo quamvìs regno implēdo, ſuffecit unius hoſpitis Majeſtas. Relictis itaq; ſeptem Latii collibus Aurelius Druſus deſcndit in Sarmaticas planities, & adhuc ſupra Alpes eminuit. Ex cæſarea domo, in regum electorales campos venit, ut omnium Polonorum regnaret in affectibus; propriæ utiq; Virtutis calculo & ſui SRZENIAVæ ablutus undis, ad ſumma omnia Candidatus. Accepit hoſpitem Lechia eò affectu, quo gemmam Annulus amplectitur, quo orientem ſolem invitat Cælum, hoc eſt Nobiliſſimi Regni faciens inquilinum Aurelium, aurum auro addidit

Origo Druſorum à Julio Cæſare, & Claudio Imperatore, teſtante privilegio Leſconis dato Lubomirſciis Anno 1206,

Aurelius Druſus Primus in Poloniam venit.

dit

dit Decuit enim hoſpitaliſſimæ genti, tales habere domeſticos, urbanitati Polonæ, tales cives Patriæ, aureæ tandem libertati decuit tam pretioſo incolæ alligari. Et quia ſinè omni nota apud nos commorari volebant Druſi, labē etiā originalē hic, ūda baptiſmali eluerūt, laverūt animas, ut pulchro corpori pares ſpiritus adjungerēt. Jam intelligo quare hactenus audiat SRZENIAVA Cælo gratiſſimus amnis, ex ſacro fonte fluxit: quare vitiorum careat limó, quia præter primævæ noxæ lutum, nihil quod ſanctior unda purgaret vehit; ſemper limpidus, & omni crystallo aquarum purior. Tot rectefactorum prodigia fecerunt Druſi in Polonia, quorum multa cum fidem excederent vulgarē, divinam ſuſcipere debuerunt Tantum meritorum exercitum duxerunt ſecum, postquam omnes aditus implevit, janua Sacramentorum illi debuit reſerari, quia quidquid ſanctum est cum illis intravit in Poloniam. Primꝰ enim Antoniꝰ Druſus cū hoc nomine originalē invenit gratiam, reperit plurimos in Republica favores, ipſe ſibi Patronus, & magni nominis Author; Quód vero infantem Domum Tuam è ſacro fonte levaverit. ILLme PALATINE honor & fortuna, palam eſt in vobis poſteris ad omnes Purpuras natis, quod primæ dignitates Patrinos vobis ègerint, Patres Patriæ & Tui, teſtantur Druſi. Nicolaus enim cum veſte innocentiæ accepit trabeam Cracovienſem, & quamvis multorum Principum juberet ſangvine adhuc candidam. Senator hic quæ dixit in Senatu adhuc immortalis fama repetit cum plauſu, quæ fecit, acta publica teſtantur: quæ ſcripſit, conſcripti

Antonius Druſus fidē Christi in Polonia ſuſcipit A. 1002.

Nicolaus Druſus Palatinꝰ Cracov.

pti Patres in volumina legum intulerunt. Et adhuc admirabilis etiam eloquentia, nondum omnia virtutum ejus portenta narravit.

Marcus Comes de Lubomirz Castellã: Zavicho:

Hæc de Drusis innuisse sufficiat, omnia enim dicere sæculorum opus est, orbis scribenda Historia. Ad illorum utiq; gloriam satis est dicere, quod maximorum in Polonia Virorum Majores fuerint; non uni LUBOMIRSCIORUM Phæbo auroram egerunt. Illorum coronæ Imperatoriæ, Vobis cunæ, poma aurea Vobis crepundia, Capitolium Romanum Vobis nutrix aula. Marcũ de LUBOMIRZ Castellanum Zawichostensem Palatinatûs istius stellæ lingvæ Cæli hactenus deprædicãt, Virum sanè celeberimũ, qui siderũ facundiâ meruit celebrari, non postremum senatûs Lechici Numen, cui stellati Joves Saturniq; abeunt in encomium. Amplitudinem Dynastæ istius vel exinde metire, Pater Comitũ fuit, Principum antecessor, LUBOMIRSCIANÆ gentis primum nomen, unus summa omnia. Si Virtutibus suis pares titulos dare voluisset, Gradivus in Castris, Oraculorum in Senatu Parens Apollo, Jupiter pro aris meruit celebrari, nisi his etiam dignitatum Vocabulis majus sit elogium quod primus LUBOMIRSKI diceretur. Pulchro omine in Sandomiriensi Palatinatu egit Senatorẽ, ut Tibi ILLUSTRISSIME PALATINE ortu suo purpureo meridiem promitteret titulorum. Fundamentum ille honoris posuit, Tu Palatinæ trabeæ aulam, impressit vestigia, Tu altos passꝰ figis: Tu quasi è sẽsu Aristotelis à pũcto honoris illius infinitam prope dignitatum ducis lineã

Pala-

Palatinatûs Lublinensis Cervus gentilitius hactenus diademate colla ornavit, nunc caput etiam illius coronat gemma Senatorum PAULUS LUBOMIRSKI, positurus & cornua si tantó Virô attollendo imparem senserit verticem. O quanta Nobilitatis gratulatione acceptus Senator hîc! plurimi apertis cordiū portis hospitem expectabant, non unus toto se acclinis venienti Palatino in arcum se flexit triumphalem, omnes alatum amorem in promptioris viæ prodromum miserunt, straverunt vias votis suppedaneis, ut celerius properaret. Tantam SRZENIAVæ passi sitim, qui LUBOMIRSCIANI adventûs tædio arserunt diu. Venit itaq; publicæ fortunæ vectûs rotâ, & quivis passus ut Ajacis in rosas floruit purpurarum; Venit in comitatu illarum virtutum, quæ LUBOMIRSCIIS omnibus ad honores terunt viam, & Appiam faciunt. Jnter innumera vero quæ ad nominis suì immortalitatem ibi fecit, illud maximū, quod geminos filiorum sol Pater Cælo illi fecit clarescere, ambo primæ magnitudinis astra, ambo ILLUSTRISSIMI Parentis non obscura parelia. Unus quidem Martis sidus dum ageret, Ludovico Hungariæ Regi grandes vel in se uno suppetias ferens contra Solymanum, heroicè occidit. Adalbertus alter, Phæbus veluti non uno climati illustrando natus, refulsit Coloniæ, ubi in comitiis imperialibus, toti Germanorum siderum Zodiaco in se uno cælum attulit. Ferebantur tunc calculi

Paulus Lubomirski Palatinus Lublinensis.

Albertus Lubomirski Legatus pro electione Rudolphi Imi Coloniam ivit.

 in

in Rudolphum Auſtriacum ; qui ut candidi fierent in SRZENIAWA lavabantur, collatæ ſententiæ ad mentem Sarmatici legati Jllius enim fluvius gentilitiùs diſcordantibus electorum pro cellis mare pacificum, ille futura in conſeſſu iſto ſerenitatis Iris Nuntia , ille inter Conſultores Planetas pro Rudolpho primum mobile. Diu Romani Imperii corpus ſine capite, caput ſine diademate cadaveri proximum jacuit, Donec Albert9, ſingulis ſtatuũ mẽbris animã, ordinẽ utiq; bonũ, poſt Cæſari, & votis eligentiũ, ſuo ſuffragio Coronam impoſuit. Optimo melior Trajano , qui tot diſcordantium procerum vulnera Rudolphi purpurâ obligavit. Mirata eſt biceps Germaniæ Aquila , Polonæ tantum ingenium , ingenio pluſquam alatam promptitudinem, cum prima ad ſolem Auguſtum adorandum evolaret. Tam perſpicacis prudentiæ oculos primi Principes laudantes, mille reſpectibus aſpexerunt , tam profundas pro Rudolpho rationes , niſi è SRZENIAVA emerſiſſe credebãt. Deniq; multorum annorum fabricam momento perfectam in eligendo Jmperatore, unius LUBOMIRSCIANÆ manus dexteritati tota comitia adſtruxerunt. Cæſar vero ne ſolitarius regnare videretur, Comitem ſacri Romani Imperii fecit Albertum, ideſt Romani Cæli Atlantem Succolaneum ; Auguſtiſſimæ Coronæ Achatem, in honoris ſui templo Cuſtodem Imperii flammam vigilem utiq; ſemper & communis boni ſtudio accenſam. Sciant itaq; poſteri Orbem Euro·

Comes S. R. J creatur a Rudolpho Imperatore ibidem.

Europæũ LUBOMIRSCIANÆ gloriæ ſphærã eſſe activitatis, Regna omnia illorum meritis coronari, Imperatores, pendere ab ore Legatorum, ſciant omnes hic natos in majoribus ſuis Auguſtiſſimos, Sereniſſimos in Regibus conſangvineis, ſuo merito Cæſares ex utroq; hoc eſt omnibus titulis Comites.

Sic extra Patriam uſq: extendunt gloriam LUBOMIRSCIJ, quorum rectefactis ordinandis vix ſufficiens theatrum mundus integer. Jam domi quæ pro DEO & Patria agant exemplum ſit Sebaſtianus LUBOMIRSKI Caſtellanus Voynicenſis. Omnes illuis labores ſuperant Herculeos, ſudores pretiori SRZENIAWAM augent Oceano, operis cujusvis Corona orbe major. Attritos uſibus Patriæ humeros ſubmiſit trabeæ, quæ pluſnè muricis an effuſi pro libertatete ſangvinis biberit; anceps eſt. Pulchrum eſt purpureis naſci in faſciis ut roſa; pulchrius coronati ſolis ex reſpectu rubeſcere, ut corallium, pulcherrimum ſibi, ſuæq; Virtuti debere titulos, ut Sebaſtianus LUBOMIRSKI. Cujus ſi merita omnia deberent præmiari, omnes cornucopias evacacuaret fortuna, honor ſuccum omnem muricis exprimeret in purpuras, Mars cuncta ſpolia detraheret trophæis; & adhuc plurimæ illius Virtutes ſinè ſtipendio, multæ ſine titulis, plurimi ſine laureis ſtarent triumphi. Unum referam quod illi ſæculorum non rependet gratitudo, nimirum quod Stanislaum LUBOMIRSKI Cra-

Sebaſtianus Lubomirski Caſtellanus Voynicenſ. Sandomir ſcepuſiens: Capitane;

Stanislao Lubomir Palatinus Cracovi: Proavus Illustrissi: Palatini.

covienſem Palatinum in orbis totius commoda, omnium regnorum fortunæ genuerit. Pactolo immergi penna, gemmæ in periodos rotari deberent, coronæ in regale folium extendi, ut Stanislai dotes aureas attingant omnes. Sive enim in Senatu Lechico effata ejus recenſeam, Catones & Tullii habebunt quod diſcant. Sive Heroicas narravero virtutes, Mars ipſe Tyronem ageret ſub hoc Duce, ſive legationes ad primos Europæ Monarchas referam, non pulchrius pro Jove Mercurius peroravit. Sive tandem in omni acie collectas laurus numeravero, Labyrinthus erunt, nulli Theſeo in filo etiam facundi ſermonis decurrendus. Quia quidquid egit, ſæculorum opus fuerat, quidquid dixit, verborũ torquem aureum extendit cum Hercule Gallico, quid: quid cogitavit, vaſto quamvis Jovis cerebro vix non ſupra captum. Jta altos gloriæ ſuæ colores duxit, ut omne elogium Umbra ſit illi exprimendo, ita ſe doteſq; ſuas ceris impres ſit Patriciis, ut æternitati pingere cum Zeuxe videretur. Ita deniq; oratorum omnium implevit ora, ut Tacitos efficeret, niſi forte cum Cæſare, ſuo id eſt Auguſto calamo ſeſe deſcribat. Accenderat in Jmperio grandem belli flammam cum Oſmano tota Thracum Vulcania, ardebant hoc malo urbes Troja veluti, omnes provinciæ in arenam belli, poſt in cinerem abibant. Extingvendo iſti Veſuvio totius Europæ ſangvis nõ ſuffecit, niſi ſe LUBOMIRSKI

oppo-

opposuisset. Hic Æneas veluti Anchisem, totam Germaniam forti brachio eripuit incendio. Objecit pectus illud Othomano, cui omnia allisa pericula, & fracta: Jllam faciem, quæ à spectu solo ut Pallas Gigantes in saxa coegit obrigescere, Illam manum, quâ cum Alexandro Orientem tenere captum, Occidentem potuit sustinere. Belli istius Ducem tam fortunatum Principem esse voluit Imperii Ferdinandus 3tio. Post laureas, Mitram imposuit Capiti, triumphali Mucroni jus gladii dedit, hoc est ut maximis etiam supereminerет Victoribus, fecit Celsissimum. Immortales fortitudinis suæ characteres, inscripsit quidem Stanislaus Othomano cum terga daret; sed ut ab orbe quoq; Christiano legerentur, transsumpsit illos in Bullam auream Jmperator, & digni coronato Capite sensus sunt.

Princeps S. R. J. creatus à Ferdinando 3tio.

In id à prima statim ætate incubuisti, non modo ut pervetustum Familiæ Tuæ decus conservares, ac perpetuares, sed etiam propriis Virtutibus atq; ornamentis illustrares, atq; eueheres. Hocq; studio accensus in Patria toga sagoq;, nullius prorsus ibidem sive belli sive intestinæ Commotionis, absq; eximio præsentiæ fortitudinisq; tuæ interventu expers, hucusq; præclarissima præstando non solum de illa, sed & de sacro Imperio totoq: Orbe Christiano optime meritus sit &c. &c. Tali pro domo sua usus oratore Stanislaus, qui ut dignè laudaret Principem, Sceptrum in pennam aptavit: in rostra egit solium, purpuram in folium extendit. Secundior certe Trajanus, qui secundum Plinium sortitus encomiastem,

Verba Privilegii.

quod

quod Pacatus Theodosium, Stiliconem Claudianus extulerint rotundo stylo, fortuna hæc fuit laudatorum. At Augustissimos habere oratores ab Imperatoribus scribi elogia, hoc non nisi LUBOMIRSCIANUM. Panegyres enim tales tam procul à fuco, quam Cæsares blandiri nesciunt nisi virtuti. Hoc nonnisi Principi Stanislao defuit ad Purpuram, ut nunquam illam fatalis tinea arrosisset, hoc murici ad colorem, ne unqum expalluisset in tumulo. Sed obrigescite dolores! magni parentis è cineribus, Heroum Phænix provolat Georgius. Hic cum Vladislao 4to. educatus, pro lacte bibit muricem, cum Reges haberet collactaneos. Brevi in Senatu maturuit, ubi veluti lilium in ætatis flore morum induit canitiem. Mareschalcus Generalium Comitiorum aurea libertatis voce non semel proclamatus, toti Poloniæ audiit celeberrimè. Audiit inter Lechiæ Mercurios ruentium legum Stator Jupiter, inter prima Nobilitatis capita, bifrons Janus, hoc est belli & pacis arbiter. Ab equestris ordinis regimine, virgam directionis in Senatu accepit, ubi mutavit quidem officium, non animum; Ubiq; enim amorem Patriæ secum circumtulit, ubiq; legum defensor & Author, ubiq; optimorum Consiliorum primum caput.

Georgius Lubomirski Regni Maresch: Avus Ill-mi Palatini.

Fortunam orbi Lechico genuisse creditus proavus tuus Princeps Celsissime, cum secundum Filium Alexandrum protulit, qui Virtutum

Alexand: Lubomirski Palatinus Cracoviensis.

tutum

tutum thesauro , ingeniiq; talentis adeo totam ditavit Patriam, ut sæcula aurea restituisse illi videretur. Cracoviensem Vavellum Cælo admovisse visus Senator hic manu Gigantæa, qui nihil non celsissimum spiravit, ac tenuit; Non ex atomis tumuisse montem illum docens, sed ex grandi meritorum suorum acervo. Auxit patricios illius fasces melior Romanis securibus Ascia, cum magni illius Cancellarii Georgii Ossolinski filiam maritali Vinculo sibi alligasset, cum qua domum suam non uno nomine fecit Principem. Et quasi aureo SRZENIAVæ, pactolum gemmeum junxisset; unionem ex illa protulit æstimatissimũ Josephum Regni Mareschalcum. Utiq; enim Junone hac nisi terrarum numen nasci debuit. hac Bona matre optimatibus melior filius debuit generari. Hic Parentis insistens vestigiis ita recti semitas trivit, ut uno plane gressu omnes gloriæ calles decurrerit, Via tandem Regiâ incedens, præivit multis Regibus scipione. Nulli melior corona Viro uxor optima poterat obtigisse, quam illi, qui Joannis 3tii. Poloniarum Regis neptem ex Sorore, Neoburgicorum Electorum, & Principum Sanguszkorum matrem, Theophilam Ducem in Ostrog & Zasław feliciùs quam annulo Policratis sibi desponsavit. Tale connubium pro Rheâ Saturni ipsi exposcerent, Gradivus Venere post posita exambiret, omnes Honorii intra titulos numerarent; quale LUBOMIRSCIO obtu-

Josephus Lubomirski Mareschalcus Regni.

lit non infaustus Hymenæus. Unicum filium Sandomiriensem Capitaneum Parentes isti reliquerunt, sed hic in scintilla ætatis extinctus, in fonte SRZENIAVæ Lethen bibit. Futurus & ipse magno de sidere sidus, si fati nox meridiem expectasset.

Joachimus Lubomirski Pocillator Regni.

Tertius ab Jove Ajax Proavi tui Filius Jllmè PALATINE Joachimus Regni Pocillator, cum immaturè occumberet, in Cratere Regio toti Poloniæ luctum propinavit. Alta de illo auguria sepulchrale marmor suppressit; purpurei floris omnem in herba spē mortis gelū decoxit hoc est cum Viro hoc Principe magnam Sarmaticæ gloriæ partem tumulavit Lubitina.

Stanislaus Lubomirski Mareschalcus Regni Patruus Illustrissimi Palatini.

Cum iterum Stanislaus LUBOMIRSKI titulos Mareschalci Regni meruit, stirps hæc arbor una nemus esse debet, ex qua sine roboris detrimento tot excisi scipiones. Aut certe uni LUBOMIRSCIÆ domui Polonia tota innititur, cum tot Senatus fulcra tenuerit. Tantæ authoritatis gens tua est Illmè PALATINE; ut nemo sæpius in consessu publico audiatur, nisi Vos legum arbitri, & consiliorum supremi directores. Principis istius dotes si ad calculum revoco; SRZENIAVæ gemmas numero; si ingenium plane divinum admiror, Jovis cerebrum tango, si deniq; animi candorem, innocua palpo lilia. Flos purpuræ illus, regnum integrum odore famæ implevit, conditæ mella facundiæ, sapiunt omnibus, agnina mansvetudo, pro vellere aureo Regum pectora occupavit. Videro illum

illum si quis desiderat, vivit in filio celsissimo Theodoro, qui vel ideo cælorum munus dicitur, ut superi dignè Paternas præmiarētur virtutes, quib9 rependendis omnes Lechiæ gazæ non sufficerent. Quantum ferro & manu valeat heros iste, novit Imperium; quod non semel Generali dexterâ protexit ab ictu; quantum ore diserto possit, nuperna referant Comitia. Primus Legatorum Princepsq; Grodnæ, quoties ut Pericles tonavit, concordium unio vocum nascebatur, quoties ut Isocratis syren argutè cecinit, discodes sopivit animos. Toto ille Srzeniavâ effudit se, ne Comitia diffluerent, tantumq; unus egit, quantum omnes debuerunt. Coronam tamem ille excellentis operis non perdidit, quamvis ad coronidem consilia non pervenerint, inter procellas enim dissidiorum perito Typhi, & voluisse satis. Fraternam Jllmi Czerniechoviensiis Palatini si evoluo purpuram grandem extendo materiam elogiorum, Dicitur ille crevisse ad trabeas, ut non vano nomine in Senatu Lechico accrescens sit Joseph9 dicitur Tutelaris præferre lilium, quod innocui ver animi denotat. Dictur tandem à non uno meritorum manipulo adoratus, ut veniret ad curulem; & non dum omnia de illo narrata.

Theodor9 Lubomirski Scepusiensis Capitanus

Josephus Lubomirski Palatinus Czerniechoviē.

Jam ex facie alterius Patrui Tui Jllme Domine Senatus Poloni frons legitur. Castellanus Cracoviensis fuerat, hoc est in consessu Lechicorum numinum uno minor Jove, coronæ Senatorum Caput, apex in honoris fastigio,

Hieronimus Lubomirski Castellanus Cracoviensis alter Patruus

Plures ille honores tenuit ut faceret celſiſſimos, jam Mareſchalcus Curiæ, regni, dignus cujus ſcipioni Majeſtas Joannis 3tii. incumberet. jam ſupremus Regni Theſaurarius, ſudores ſuos pretioſos vectigales fecit Sarmatiæ. Jam tandem primus in Parria Senator illâ ſedit curuli, quam ingentes licet viri vix Votis attingunt. Triarios filiorum in ſubſidium reliquit Lechiæ, & quiſq; caſtra facit.

Georgius Lubomirski Notarius Regni

Jlluſtriſſimus Regni Notarius in campo quidem ſcribit milites, ſe in immortalibus gloriæ faſtis, brevi & ipſe conſcriptus Pater. Pennâ hac in publica regni commoda evolat, cui reipublicæ amor alas addit. Erit, ur obligata Polonia quidquid decoris præſidijq; hoc á calamo tranſumpſerit, ſubſcribat ipſi.

Alexander Lubomirski Enſifer Regn.

Jlluſtriſſimus Regni Enſifer elevato ante Reges gladio incedens, hoſtes Majeſtatis quærit, quos jugulet, & quos capitaliſſimos, id eſt ipſa Hydræ Capita invenerit, Alcidem ſe illis præbet, ferro gravem. Vidimus in illo & mentis & mucronis aciem acutam, acre ingenium, & enſem; dives gladii capulum, ſed caput aureum.

Joannes Lubomirski Capitaneus Bolemovienſis.

Joannem Bolemovienſem Capitaneum ad quidquid pulchrum formavit natura, meretur ille trabeas ſudore purpureo, ſeruit Patriæ, brevi miniſter ſtatûs futurus. Vox nunc pro libettate aurea, brevi non unius Poloni Chriſti Joannes Mareſchalc9.

Georgius Lubomir. Palatinus Cracovienſis.

Jlluſtriſſimum Georgium LUBOMIRSKI nuper Cracovienſem Palatinum itidem Patruū tuum ſi commemoro, Senator Jlluſtriſſime

plane

plane obruor dicendorum mole. Acta enim illius pulcherrima si in paginã referantur, orbis in foliũ abire debet, Athænæ omnes in bibliothecã. A Juventute Heros in sinu Bellonæ educatus, magis hostium cruorem quam lac sitiens. Unde postea plures triumphos quam annos numeravit, nec diutius vixit, quam vicit. Post aulæ Regiæ Succamerarius, clavem non tam à conclavi, quam à corde Augusti habuit, ipse pectoris regij inquilinus. Multarum Fundator Ecclesiarum, vix non aris illatus. Hæreticorum malleus sed talis, quo porta sancta ad fidem veram aperta multis. Justitiæ libram æquâ manu tenuit, ut nihil illam prægravaret, nisi gravitas causæ. Canitiè tandem virtutis venerabilis, non per seniũ, Cracoviensem accepit Palatinatum, sed veteranæ suffragio probitatis. Hanc enim induit purpuram, quam majores ipsius usibus Patriæ attriverunt, ille grandibus meritis resarcivit. Sedit in curuli Senatoria non tam annis fessus quam laboribus, adhuc tamen non semel stetit pro libertate. Mortem illius tota flevit Polonia, tanto pupilla virò, omnes Provinciæ SRZENIAVam auxerunt lachrymis, ut doloribus hactenus exundaret. Nisi omniũ nostrum abstergãt palpebras, exsiccent fletus duo sidera filiorũ, Celsissimi Casimiriensis & Olsztynensis Capitanei. Videmus illos in flore ætatis ad Patris trabeam maturescere, in prætexta, se nili conspicuos prudentiâ. Videmus futuros duo fulmina belli Scipiadas, non uni Encelado formidandos.

Concedant ſuperi ætatem (quam precamur) ibunt celſiſſimo pede per faſtigia honorum, ut pote ad ſumma omniâ nati. Unum adhuc Patruum TUUM Illme PALATINE vel ſub marmore ſpirare video Franciſcum Olsztynenſem Capitaneum; bellica illius gloria hactenus ignara ſepulchri , ſcintillat in cineribus Heroum flamma, florent laureæ & inter cupreſſos. Dicite Veneti ex Turcis triumphi, ſi non Franciſci cruentæ manui trophæa debetis. Morea capta dicat , ſi non ferro LUBOMIRSCIANO ſolutat compedibus; ubi Odryſios canes prædâ ereptâ docuit mansveſcere. Si non Parcæ ſcidiſſent vitæ filum , totam in vincula traxiſſet Asiam, injeciſſet catenas Hellesponto nobilior Xerxes Polonicus.

Franciſco Lubomirski Capitaneus Olſztynenſis.

Permittes Jlluſtriſſimè PALATINE magnos quoq; Parentis Tui cineres calamo refodere , videbimus ibi multarum veſtigia virtutum , Phœnicem vivere ſanctitatem. Cecidit ille , ſed ut Rhodius coloſſus; qui jacens quoq; miraculum eſt, occubuit ſed ſolis more, qui & in occaſu magnus. Alexandro enim huic unus cum non ſufficeret orbis, in alterum gloriam ſuam transtulit. Quoties ille in Comitiis pro libertate locutus roſas ab ore ſpargebat, quæ vota omnium coronarent. Quoties verborum gemmas fudit, orbis annullo inſeri dignæ credebantur. Omnia illius conſilia ad mentem legum , oracula eventibus probata. Martis sidus dum egit, ſæpe Luna expalluit Othomanica, tre-

Alexander Lubomirski Capitaneus Sandecenſis Pater Illmi Palatini.

trepidarunt ſoles exteri ad armorum illiꝰ lucem; cui tam pronum erat inimicam ſolvere obſidionem, quàm nodum Gordium, tam facile debellare orbem hoſticum, ut Alexandro. Quò veró pari nuberet Bellonæ, antiquarum ideam Heroinarum, Sapiehanæ domus Artemiſiam, Matrem vobis eſſe voluit. Et hoc cum ſãgvine multæ vobis in venas purpuræ influxerũt Domeſticæ Sapiehis clavæ honori veſtro militarunt, omnes trabeæ faſciis obligatæ. Lectiſſimæ hujus fæminæ innata pietas Aris omnibus meretur radios, meretur Cracoviæ templis omnibus coronari. Cum ſagitta gentilitia ſæpius cœlo ejaculatorios mittebat actus, quaſi ſidereæ aulæ tholo illam vellet infigere. In ſacris ædibus aſſidua, ut Pulcheria Bizantii, egenorum Mater ut Paula Romæ, omnium compendium Virtutum ut LUBOMIRSCIA Domi Veſtræ. His de parentibus ternio filiorum proceſſit, ſed perfectiſſimus: aſpexiſtis lucem, Paternæ virtutis accenſi radiis, ſuxiſtis cum lacte materno candorem animi. Utinam viveres Illme Subdapifer Regni, pridem toti Patriæ ad guſtum, ſvaviſſimus Princeps totius Reipublicæ deſideria in te ſatiaſſes; vidiſſemꝰ innocenti animo Probinum, comitate orbis delicium Titum, judicij maturitate Lycurgum. Mores illius candidi, neſciverunt erubeſcerere, niſi ad purpuram, lingva ut Platoni mellea, odit fucos; vaſtitas capitis, Romanis major Capitoliis. Brevi quidem vitæ paſſu omnium virtutum decurrit

Mater ex Illma Sapieharum Domo.

Alexander Lubomirski Subdapifer Regni Frater Illmi Palatini.

currit

currit ſemitam, ſæcula laudibus fatigavit ætas immatura; hoc uno bonis omnibus injurius Princeps optimus, quod celerem è vita exceſſum commiſerit.

Joſephus Nominatus Epiſcopus Chełmenſis Abbas Tynecenſis ſecundus Frater.

Illuſtriſſimo Chełmēſi Nominato Joſepho, omnes hactenus inſulæ iraſcuntur, quod illis caput eripuerit, dolent violæ præſulum, quod ſe ſanctitatis illius flori non alligaſſent. Qui Principem egit optime, reſtabat ut Regem quoq; ſacrorum ageret, mitræ tiaram ſociaret, hoc eſt ſi vel pedem moviſſet, omnes ſacri honoris theſauros ſub cruce Epiſcopali ut Tyberianâ inveniſſet. Extincto neopræſuli huic immortalia doloris ſacra peragit mæſta Lechia, parentamus lachrymis optimo Patri Patriæ & concepta de illo vota fatorum altaribus appendimus.

Illma Anna Małachowska Palatinæ Poſnanienſis ſoror

Unica vobis Fratres Celſiſſimi ſoror, ſed millibus una melior, quia quidquid virtutis in plures dividi poterat, comprehendit una. Prudentia illi virilis fuerat, Majeſtas oris princeps, pietas celſiſſima: ut non Paridis ſed totius Poloniæ judicio omnibus eſſet anteferenda deabus. Wielopolſcianæ domus annulum connubialem gemma hæc ornavit, ubi velut in Pyrrhi unione Muſæ, ſic in illa virtutes omnes eluxerunt. Poſt Poſnanienſi Palatino Małachovio elocata, faſciam illius in orbem decorum extendit.

Joannes Małachowski Capitaneus Oponcenſis Nepos Illmi Palatini.

Patet id in Illmo Małachowski Opocnenſi Capitaneo, qui vix egreſſus infantiam, jam regni negotiis admotus, penè puer, jam legum parens fuerat; in flore ætatis, non uni herbam præripuit Catoni.

Judi-

Judicium Patriæ de illo exquiritis? dignus qui Tribunalia Regni corrigeret, justitiæ libram ad lancem vocaret. Etiam nunc ad comitia legatus Generalia, primarum sibi dignitatum non vanus extitit Nuntius.

Hæc Domus Tuæ sidera Illme Palatine aspeximus, plurima forte fugerunt palpebram, & calamum, quia hæc majorum gloria stellarum, quo altius steterint, parvæ inde aut nullæ videri volunt. Quidquid tamen in Domo tua Jllustrissima lucis libavimus, in te velut in crystallo sol, omnis cōcentrata, quoscunq; aurei Srzeniavæ fluctus tetigimus, in te pretium omne refluit Tu majorib9 tuis major, Tu Heroum Campus, muricis color omnis, terrestrium deorum Pantheon.

RUBICON
PURPUREUS
SRZENIAVA
LUBOMIRSCIORUM
Hostium Sangvine auctus, Heroes ad portum gloriæ provehens.

SAngvinem pro sæpia bibe penna, cum LUBOMIRSCIORUM Heroum castra conscribis. Sed non opus est tabo ubi SRZENIAWA totus Rubicon purpureus, aut potius à Getarũ, Moschorum, Suecorum, Hungarorumq; fuso cruore, Mare rubrum. Hic in tingite calamos Oratores, unde non unus LUBOMIRSKI delevit hostem, proscripsit finib9 Patriis, & quod bellicæ gloriæ miraculum est, infonte

in fonte ſuo SRZENIAWA non ſemel inimica fudit caſtra, Heraclius enim Druſus poſtquam accepit clavam in Polonia, omnes ſub hoc Duce Victoriæ militarunt, convolarunt ſub ſigna triumphi. Alios quidem mortales rudi ſaxo formaverit Deucalicon, Heraclius totus magneticus, amavit ferrum; aut certe chalybeum induit corpus, quod vagina eſſet heroici animi. Trophæa illius omnes Martis campos arctarunt, cum plures ex hoſte laureas retulerit, quam militum capita numeraret.

Heraclius Druſq Exercituū Dux Supremus.

SEBASTIANUS LUBOMIRSKI non illatus curuli Senatoriæ, ſed per ipſa provectus pericula: ſecures bellicas adjunxit faſcibus, Senator proprio in ſangvine trabeatus. Ferale aſtrum, cometes verius Luna Turcica, infauſta omnia portendebat Imperio, bellici ignis fumo obſcuras fati noctes ſpargebat Pannoniæ pallore ſuo copioſum ſangvinis imbrem præſagiens. Oppoſuit ſe Cynthiæ Heroum Sol LUBOMIRSKJ; ut illam ecclypſaret. Jgnes fatuos ignibus extinxit triumphalibus, pluraq; in hoſtem jaculatus tela, quam phæbus radios de capite. Ære proprio conflavit clypeum illum qui Germaniæ, Hungariæ corpori tegendo ſufficeret. Nobilior utiq; Perſeus, cujus parmam aſpicere etiam ſine diſcrimine non potuit Othomanus. Jllas vel in ſe uno attulit Rudolpho 2do ſuppetias, quas fatiſcenti Atlanti Hercules, cum ruens pene Auſtriæ cælum collectâ ſuorum manu ſuſtinuit. Succurrit ar-

Sebaſtianus Lubomirski Caſtellanus Voynicenſis Rudolphum 2dū proprio milite contra Turcas juvat.

 morum

morũ suorum strepitu, non tam lunæ laboranti, quam Cæsari; Triumphales aquilas ut Alciones congregavit, quæ Germanico Oceano tempestatem omnem averterent. Reducem ex Jmperio Sebastianum, in belli & gloriæ societatem invitavit ad Smolenscum Sigismundus 3tius, quasi nec triumphare vellet Rex invinctissimus sine LUBOMIRSCIIS. Adhæsit itaq; Principis lateri heroum cor, in visceribus castrorum primum vivens. Diu obsidionali corona cinxerat exercitus noster Smolēscũ, ubi præter spem in herba, nullà decerpsit laurum. Prælia & victorias momentis constare docuit LUBOMIRSKI, promptior ad frangendos muros, quam tempus terendum. Aggredi virum timebant pericula, ne vincerentur, orbes plumbei veluti fortunæ Lechicæ ad pedes ruebant, jamq; plane cum immortali viro pugnare desperaverant nisi ex hominibus se esse fateretur, amisso hoc prælio fratre Capitaneo Tymbarscensi. Mors tamen hæc Moschis fatalis erat, casus ad deditionem urbem inclinavit. Fuerat tunc qui diceret ivisse è vivis LUBOMIRSCIUM, ut fugientes Schismaticos ad inferos usq; persequeretur, profligatisq; ipsa tartari ad limina Tartaris, majori cum triumpho cælos ascenderet.

Ioachimus Lubomirski Capitaneus Tymbarscensis ad Smolenscum miles occubuit.

Tali Patre Philippo, orbis triumphator filius Alexander nasci debuit. Jllius clava monstris omnibus purgavit Europam, illâ parte extinxit Lernam qua belli flamma erumpebat,

Stanislaus Lubomirski supremus exercituum Dux ad Chocimũ

bat. Et imprimis defuncto supremo Duce Carolo Chodkiewicio successit ille, tantumq; boni ominis secum attullit, ne ille desideraretur. Quid enim ibi victore gladio egerit, notum orbi ex historiis, vulgatumq; pugnæ istius carmen, pueris cantaturq; puellis. Nam continuis præliis ita attrivit cornua Lunæ Othomaticæ, ut in decrescente vultu nec vulneri locus pateret amplius, ita prope septingenta millia Gelonum dispersit, ut nuntius cladis vix rediret in Thraciam. Flevit tot funera suorum Solymanus juvenis, prius sangvine, post lachymis eluens illam temeritatem, quod LUBOMIRSCIUM aggrederetur. Disertus hic luctus profuit tamen hosti, quo pacis conditiones imploravit à Duce nostro, qui contentus tot jugulasse Turcas, percusit cum illis & fædus; semper tamen & victoris exercitûs, & tractatûs articulorum Jmperator. Ne vero feruor Martius pectoribus Lechicis frigesceret. aliquando, de sua penu illum aluit. Quatuor bellatorum millia usibus Patriæ recensuit suo stipendio, prodigus sangvinis & auri, nec hosti parcens, nec sumptibus in hostem, ferro Dux, Princeps aureus in militem.

Sed hæc minora essent belli subsidia, nisi filium quoq; hæredem suarum reliquisset victoriarum. Ducem ille egit in quavis acie, inquovis prælio *Primum*, & Felicianum. Ebrius ambitione Rakocius dum Poloniam aggreditur, edormivit quidem crapulam cum

Georgius Lubomirski Mareschalcus Regni & Dux Campestr.

 mili-

militem illius fati ſomno ſopivit LUBOMIRSKI. Leo Sueticus incidit in Alcidam hunc, quem non pelle tantum, ſed & viribus, & ſpoliis omnibus exuit. Si quando flammam Leo hic exhorruit, tunc certe, cum ex trophæis illius ignes accenderet triumphales Dux LUBOMIRSKI, timuit circumactos rotarum orbes cum totos exercitus ſuos è vivis diſcedere aſpexit.

Hieronimus Augustinus Lubomirski Exercitiũ Regni Dux ſupremus.

Jam propè LUBOMIRSCIANA Domus Clavarum Patria eſt, quaſi illos Mars genuiſſet matre Bellonà, omnes naſcuntur Duces, quivis in cunis Hercules. Hieronymus enim illam tenuit clavam, ſub qua non unus Achilles tyronem egiſſet. Ille fuerat armorum Imperator, cui Annibal parere non erubeſceret. Quoties triumphali pede pulſavit terrã cum Pompejo, orbis heroũ integer ad arma properavit. Illa calamitate in Polonia ducem egit, qua domeſtici hoſtes fuerant, belli flamma in viſceribus Patriæ ut in Veſuvio arſit, in vicinos nonniſi erumpens Cives. Plura imperio, victore gladio egit plurima, maxima facturus, niſi clavam mors eripuiſſet

Georgius Lubomirski Palatinus Cracovie: ad Viennam Heros.

Ad Coronam Victorum Princes heros accedit Georgius PALATINVS nuper Cracovienſis. Cujus virtutes bellicas mirari potuit Gradivus non imitari. Ad Viennam & Strigonium Joanni 3tio comes proximus acie, ubi rex ſceptro, Georgius manu effecit plura. Juvenis tunc miles, & dies vitæ nonniſi per cæſorum Capita nume-

numerans tantùm explorato egit ferro, quaſi ſub galea incanuiſſet. Felici auſu pontem Danubio innatantem ſuccidit tunc, cvm ſe fugientium Turcarum ſuffocaret in illo multitudo. Beneficus utiq; vel in hoſtes Princeps, præcipitatis tot in fluvium cadaveribus, reliquis in Cocythum ituris novum fecit pontem. Etquamvis nigras Getarum animas toto ablueret Danubio Charon, non tamen LUBOMIRSKI improbo labore lavit æthiopes, cum enim à Polono Heroe profligarentur, eluerunt notam; gloriæ ſibi ducentes Æneæ cecidiſſe manu. ScythasCoſacoſq;penè pueroDuci vincere ludus erat. Dicitur fleviſſe aliquando quod illos non ad internecionem deleverit, ut vel ex gemmis lachrymarum naſcentibus, fulmen hoſtium audiretur. Aggreſtes itaq; rebellis plebis manipuli ſemper apud illum in vinculis, ſemper vocales capitivi, cum Murzæ plurimi onuſti catenis perſonarent. Sed quid ego cineres Heroum refodio, ut arenam belli inſtruam, quid attollo monumenta, cum vivos Alcidas ſpecto, & ſuperſtitem domi veſtræ Ducum Spartham. Bellicæ fortunæ cadavera quid juvat exhumare, cum tot gemmæ Militum etiam nunc naſcantur in SRZENIAVA quod LUBOMIRSCIJ. Multi a teneris aſſveti Marti, quaſi non prius lucem, quam enſis fulgorem aſpexerint, non prius manum quam gladium cum Caſtrioto a naturâ accepiſſent. Plurimi Generales legionum & imperant vi-

Scytharũ Coſakorumq; perennis Victor.

ctorias, & agunt; castra ordinant, ipsi prima acies, disponunt militiam quisq; grandis heroicarum virtutum exercitus; quos si vel Darius aspiceret, non plures sibi Zopyros optaret. Inter primos te secundior nemo Jllustrissime PALATINE. Qui Avorum atavorumq; ducum innutritus triumphis quasi, Achilles Leonum medullis, robur ipsum Heroum spiras, omnes martis dies vivis, & pacem armatam amas. Hoc publicæ famæ tuba, hoc Bellonæ-- litui prædicant, quod sis inter fulmina belli Tonans Jupiter, Annibal ad portas semper triumphales, Lechicæ Trojæ Palladium.

Flu-

FLUMINA
ELOQUENTIÆ
In
SRZENIAVA
LUBOMIRSCI ORUM
Roſtris attollunt Oratores.

EXiguum in laudes proferrem, ſi LUBOMIRSCIANA nonniſi recenſerem capita, tacitus ingeniorum; pretioſos dicerem viros, & mentis opes non attingerem. Parum eſt ardere titulis, non affuſo oleo ſapientiæ; diademata vertice attollere, & in literarum regno ſceptra non tenere, cum upuparũ etiam ſit fætere, & coronari. SRZENIAVÆ itaq; cuniculos ſi requiritis, a fontibus Caſtaliis ducit alveum; eloquentiæ auctus fluminibus Athenas omnes alluit, in mare demum influit ſcien-

tiarum, & ubiq; altum tenet doctrinæ. Jnde enim Musæ hauriunt Hyppocrenen, hic Oratorum navigant rostra, hic tota eruditorum respublica doctam extingvit sitim. Isto fluvio emergunt ingenia, undisquibusvis limpidiora, fluidus omni sermo, omnis profunda oratio. Unde enim Podolenicenses, Ressovienses, Mederecenses Scholæ, & tota Calasantina emanavit Pallas in Polonia? nisi ex SRZENIAWA, ubi hactenus doctæ classes secundis, navigando velis Fundatorium nomen omni ripâ celebrant. Quasi nulla Lycæa, veluti Capitolia assurgant fortunatius, quam a capitibus LUBOMIRSCIANIS, nulla nascatur Minerva, nisi cerebro illorum. Plane enim in cunis nascuntur illi oratores, cum lacte facundos bibunt latices, pro fasciis ligato stylo adstringuntur. Unde postea maturo ingenio orbem erudiunt, Senatus coronæ docta capita inferuntur, in omni arena victores, triumphant ingenio. Nulla in publico formatur propositio, nisi vestra firmetur ratione, nulla post cortinam arcana fundutur, nisi vos Apollines consulatis; nulla sub rosa Senatus consulta vernant nisi centum foliis svadæ LUBOMIRSCIANÆ decorentur. Particulares Palatinatuū conventus rupti nunquam, ubi LUBOMIRSCIJ ad nexum loquuntur. Publici regni consessus conludunt semper, ubi vos formatis theses, ubi sententiarum non leve argumentum vestra in dicendo Authoritas. Hinc legatis ad comi-

comitia nemo facundior, ingenii ſtylo acutior nemo, promptitudine ingenij quilibet LUBOMIRSKI alatus Mercurius. Mareſchalcos generalium comitiorum ſæpe in domo hac libertas invenit eligentium, quia fulciendis legibus nemo ſolidius tenuit ſcipionem, nemo vobis prudentius uoces diſtribuit quibus orbis Lechicus ab ore pendet. Sed vaſtitati mentis veſtræ complectendæ fines Patrii non ſufficiunt, orbe major activitatis veſtræ ſphæra, ſciẽtia regnis omnibus claſſica. Ivit Hieronymus LUBOMIRSKI, Regni tunc Vexilifer Legatus in Gallias, & quaſi ſub labarum omnes ingeniorum copias evocaſſet, non uni ſapientum phalangi ſigna prætulit. Juit ad Franciæ lilia Florus Polonicus, ad Verſali inquilinum Regem Hortenſius Sarmatiæ, omni flore ſvadæ conſpicuus. Oratorem iſtum ut domeſticum faceret Galliis Ludovicus 14tus, aureâ illum catena adſtrinxit, donavit torquem, cujus Legationi vinctas manus dedit, fecitq; ex Polono oratore Gallicum Herculem. Avulſus plane ab aula illa, movit pedem in patriam Hieronymus, ſed grandis ſapientiæ relictis veſtigiis, abiit, ſed prudentia Viri Gallis omnibus inhæſit. Hoc est flos Legatorum etiam abſens odorem famæ, ſol procerum non unum eruditionis radium Sorbonæ post ſe reliquit.

Hieronimus Lubomirski Legatus in Galliastor quem aureum dono accepit a Ludovico 14to.

Si libri liberi ſunt, vivit ad huc non uno in partu ſuo multorum parens voluminum Stanislaus LUBOMIRSKI Regni Mareſchalcus; inter

Stanislaus Regni Mareſchalcus eruditiſſimus.

 lite:

literarum monumenta ſpirat adhuc, & doctos cineres animat. Immortalis enim viri ſapientia inter tineas librorum incorrupta, inter rotundas periodos æterna. Omnium ſapientum ætates debet vivere, qui cunctos fecit doctiores, debet erudita vincere ſæcula, quæ ingenio ſu: peravit. Illius caput orbis plane fuit Biblio: theca, penna ſcriptorum omnium, mens agilis, cæleſtis intelligentia. Si quando Pöeticam pulſavit Cytharam, de rupibus Parnaſſiis ſteterunt Thebæ cum plauſu, ſi fila lyræ tetigit, vix fidem invenit carmen mirabile, ſi tandem Heliconiam arripuit teſtudinem, extemporanei ad omnes numeros currebant verſus. Unde multum illi Apollo debet, quod non in Parnaſſo tantum, ſed in Polonia quoq; locum habet; multum obligatæ Muſæ, quod hactenus non ſub Pegaſi ungulà natum Caſtalim, ſed partum capitis SRZENIAVAM bibant. Ipſa patientis DEI Hiſtoria non jam ſpinis & cruce horret, ſed acumine *Pöetico* placet, rident mærores quos Cythara temperat LUBOMIRSCIJ, mors ipſa blanda, quam pulchro entheo animavit. Venam hanc inſpiravit in artus, infudit Caſtalim cum ſangvine Filio Celſiſſimo Scepuſienſi Capitaneo, qui carmen amat, & digna carmine gerit, & hoſtes pulſat & Cytharam, pharetram Apollinis in arcus triumphales, tibiam canendis victoriis accepit hoc eſt unus inventus eſt, qui ruptos poſt mortem Patris neruos cytharæ, felici manu ſuffecerit

Theodorus Scepuſienſis Capitaneus Paterna eruditionis hæres.

cerit

cerit. Quamquam non unus ille inter Parnaſſi DEOS conſedit, omnes LUBOMIRSCI Numina Scientiarum, omnes ſvavitate dicendi pluſqam divini Platones. Tu tamen inter cæteros ILLUSTRISSIME PALATINE & Imperij & Otatorum Princeps adoraris. Mitram imponis capiti, quam Doctorum omnium decorant gemmæ, Ducalem ſtringis enſem, & libri quoq; melius quam apud Caligulam Tibi pugio & gladius. Unde quidquid profers auro notatur quia pretiotioſum, cedro inſcribitur quia ſolidum, toto orbe auditur, quia Lechici Periclis fulmen eſt eruditum.

ERIDANUS
CÆLESTIS
SRZENIAVA
LUBOMIRSCI ORUM

Illuſtres pietate viros ſideribus admovens.

POſtquam SRZENIAWA, ſecundo flumine non unius honoris littus alluit, plurimas ambitu ſuo inſulas fecit fortunatas, cæleſtem tandem influxit in Eridanum: ut qui hactenus plurimos aurei velleris Principes Jaſones veluti provexit, virtutes quoq; dividat in claſſes. Et jam video pluſquam ſeptem oſtiis Nili, terræ ſanctæ influere SRZENIAVAM, illamq; ut Ægyptum meſſe plurima probitatis fæcundare; video fluvium hunc cæleſtem ſola virtutum aſtra voluere, imo velut

Eoo

Eoo mari ſoles ſurgere ſanctitatis. Hic ſe ipſa abluit innocentia, ut induat candorem, hic pudor bibit ruborem verecundum, hic cum aquis effundit ſe profuſe liberalitas, hic deniq; virtutes omnes grandi Xerxis navigant claſſe ad portum ſalutis. Pietatis tuæ appello ad littus ILLUSTRISSIME STANISLAE LUBOMIRSKI Cracovienſis PALATINE, ubi non unius Eccleſiæ navis attollit ſeſe, ubi plurimorum turres templorum ceu Pharos multiplex allucent SRZENIAVæ. Tot ſacrarum ædium fundator, meruit & ipſe aras, tot altarium Patronus, meruit Sanctorum radiis coronari, dignus ſacris omnibus, qui magnam fortunarum ſuarum partem litavit ſuperis. Vix aliquod in Polonia templum reperitur, ubi flãmæ non ardeant de ceris illius Illuſtriſſimis, nullibi cremantur thura, niſi aut LUBOMIRSCIANÆ pietatis odorem ſpirent, aut domum hanc felicem Eccleſiarum Arabiam fateantur. Unde perennis illi à Divis omnibus gratitudo, pro tot pinguibus beneficiis, pro altaribus exſtructis Vota mille, pro tot Eccleſiis multi Sanctorum amici ad Aras Jam mendicantium Ordines multi, non ut Lethen SRZENIAVAM bibunt, ut ſui obliviſcantur Fundaroris; Choris omnibus decantant Mecænatem, alta voce ſub ſidera efferunt volucres religioræ illum, qui ſibi tot nidos fundavit, & nomen ipſum LUBOMIRSCIJ Sacris parietibus repercuſſum, vocalis echo perenniter ingeminat.

Stanislaus Lubomirski Palatinus Cracoviensis 14 ex muro solido, 30 ex ligneo templa ædificavit.

J Czer-

Stanislaus Lubomirski Mareſcalcus Regni Czerniacoviæ pulcherrimum templum ædificat P. P. Bernardinis.

Czerniacovienſe templum veriùs Regiæ eſt principis liberalitatis, attollit columnis nomen Celſiſſimum STANISLAI LUBOMIRSKI Mareſchalci Regni, & Cælo infert coronandum. Quidquid decoris eſt primis ſacriq; Europæ Palatiis, quidquid ſub clavibus Petri theſaurorum, omnes in Eccleſiam hanc velut in Pandoram congeſſit. Auro plane fudit domum illam, ut Seraphicam ditaret paupertatem, Divorum lipſanis Mauſolæa poſuit pulcherrima, & totam Eccleſiam miraculum orbis Lechici fecit. Sancto Franciſco Aſſyſium, replicavit, Padvam Divo Antonio, Minoritis omnibus Arã cæli fecit. Uude quicunq; Varſaviam veniunt hoſpites, hanc ædem ſalutant primi, proximam electorali campo, reginam Eccleſiarum proclamant, conſiliis regni affinem adeunt Legati omnes, ubi virtutes LUBOMIRSCIANÆ publica agunt Comitia Fundarore Mareſchalco.

Georgius Lubomirski Palatinus Cracovieſis. multarum Eccleſiar: Fundator.

Omnes Sacrarum ædium muri quas poſuit GEORGIUS LUBOMIRSKI PALATINUS Cracovienſis quaſi Memnonis lapide ſtetiſſient, hactenus ſuum celebrant fundatorem, loquuntur facies templorum Mecænatem, marmor omne deſudat in elogia. Mederecese templum & ſcholas pias, eo ſumptu conſtruxit, quaſi Romæ ad Minervam fundarentur, ità in fabricam illam ſcholaſticam ſtudioſus. Radomiæ Benedictinæ Virgines Cælum Religioſum huic debent Jovi, debent ſanctæ illæ animæ campos Ely-

Elysios quos incolunt, floribus munificentiæ LUBOMIRSCIANÆ. Czestochoviensis ædes Thaumaturga inter miracula computat manum illius liberalem, & clarus mons gratiarum radiis illustratus in olympum plane assurgit. Portâ illâ quam manu aurea exstruxit, excurrit multa pietas in laudes sui Fundatoris, quà data via ruit perennis gratitudo, isti, qui tam amplissimos aditus ad Marianas gratias patefecit. Jam Societas JESU quantum Principi huic debeat? plus largitus est nobis favorum, quam nos reddere possimus gratiarumactionis, plus se in nos effudit SRZENIAWA, quam nos verba fundere valeamus. Polonnensis Residentia illo parente nata, illius auri fulgore aspexit lucem, surrexerunt muri quos manu liberali extulit. Barenses semirutas ædes respectu suo ut Prometheum animavit melior Podoliæ sol Georgius, ut vitam illi debeamus. Tribunalitium Lublini Collegium, nunquam, digne jura persolvet gratitudinis, semper reum, semper conuictum gratiis judicat se se amplissimo Mecænati. Jam Thorunij quid pro DEO & nobis egerit? Decretorum regni apello fidem, quæ sanctissimè promovit, & executus. Parum est quod nostra vulnera purpurâ involuerit, quod ruinam Collegij forti brachio levaverit. Illud maximum quod Virginem Immaculatam, Divorumq; Cultus fecerit Thorunii securè habitare. In eam enim audaciam Hæreticorum creverat Giganto-

Polonnæ Soc: JESu Fundator alibi protector strenuissimus.

Thorunii Vindex divorum, & nostri Collegii acerrimus.

machia, ut cælites oppugnare ſtatuerit, niſi ultor hic Jupiter decretorum ſuorum fulmine illam obtriviſſet, punitorum tumulis Ætnâ veluti obruiſſet, Enceladum. Jmprimis enim prima tumultûs capita juſtitiæ gladio ſubjecit, ut caſu hoc plantas venerarentur Marianas, cui antea manus violentas intulerunt. Fædè caderent, contra quam ſuperbè ſurrexerũt. Poſtea non unius Scevolæ dextram ſacrilegam addixit flammis, quod in Principum Divorum Stanislai Koſtka, & Caſimiri cultu tanquã in Porſenæ capite erraverit. Totũ deniq; rebellioniscorpus minuit capite, & ſapere docuit. Et quod pulcherrimmũ, exulem templo ſuo MatrẽSanctisſimam altaribus reſtituit, Reginam Poloniæ trono ſuo, fidem Catholicam donavit urbe. cuſtodeſq; Virginei Imperij ignes, flammas Seraphicas, aris & focis excitavit, fecitq; immortales. Verbo tot Thorunij pro Deo Diviſq; egit GEORGIUS LUBO-MIRSKI, quot nè ſperare potuit afflicta religio, tot præſtitit Catholicis, quot nec petere audebant; ſic deniq; pro æquitate cauſæ decrevit, ut cæli ſubſcriberent. Uude Principem hunc alibi murorum, Thorunii vitæ & famæ ſortiti ſumus Fundatorem.

Criſtina ex Lubomirſciis Potocka Fundatrix Collegii Craſnoſtavienſis S. J.

Poſt Virorum palmas in Cælum munificas; triumphalem ſub clavâ ducit liberalitem Dux fæmina Criſtina LUBOMIRSKA, Duci exercituum ſupremo & Caſtellano Cracovienſi Potoccio nupta, quæ Craſnoſtavienſi templo

in

in fundamenta ſolidas gratias, in baſes nomen ſuum dedit. Aureum Jndia ſepulchrum D. Xaverio,non minus divitem Eccleſiam Criſtina dedit,quanquàm ibi protioſè jacet, hic in ſumptuoſiſſimâ æde attollitur; alterius mundi Apoſtolus, orbis utriuſq; decorora in una hac Baſilica compræhendit. A capite Matris dùcunt adhuc aureæ liberalitatis lineas filii Illuſtriſſimi, & ferè in dotando illo Collegio matriſant, LUBOMIRSCIA genitrice nati.

Leopolienſes Colles veriùs montes pietatis ſunt Eliſabethæ LUBOMIRSKA Sieniavij Ducis cōſortis,quibꝰ humillitatē extulit Capucinam, paupertatem inauravit Seraphicam, vulnera Franciſci fecit integerima, Jmpendens urbi Cænobium, pendentem velut in áère hortum fundavit Semiremis hæc Lechica, ut cælo proprior floreret LUBOMIRSCIA prodigalitas, & coronas, imperiales mereretur.

Eliſabeth ex Lubomirſciis Sieniawska Caſtellana Cracov: PP. Capucinorum Fundatrix Leopoli.

Sed quid ego mutos enarro parietes, cum viva Dei templa hactenus LUBOMIRSCIJ celebrantur, ædes ſacras conſtruunt, ipſi ad ædificationem. Elenora enim LUBOMIRSKA Palatinis Cracovienſis ſæculo prope toto in currupta Virgo in tumulo, in vita integra, poſt mortem integerrima. Immortua pudori pàllorem non induit roſa hæc, necdum emarcuit, cum lilia candoris floribus adderet ſepulchralibus; fatale non paſſa gelu, cum ſertum viride adhuc capite referat. Quaſi nunquam Srzeniawa in mare mortuum influat, corumpi neſcit.

Eleonora Lubomirska in opinione ſanctitats mortua incorrupta jacet Cracoviæ in templo SSS. Trinitatis.

K Hæc

Hæc de mortuis innuiſſe ſufficiat, cum vivas virtutum imagines quas ſuperſtites exprimuntL U B O M I R S CI J æternitate tota quam vis Zeuxes pingat, dignè non attinget. Subtiles quamvis Apelles ducat lineas, omnia ſanctitatis veſtræ lineamenta adhuc ſupra penicillum erunt. Qui enim digna luce publica agitis, nequeunt illa adumbrari, ſupra altiſſimos etiam colores eſt non picta veſtra pietas. Si quis tamen ideam L U B O M I R-SCIANÆ probitais videre deſiderat, te aſpiciat JLLUSTRISSIME PALATINE, qui innocuorum exemplar morum, Probis Probiniſq; norma, & Sanctiorum Jcon animorum diceris. Vultus enim tuos in prima fronte templa referunt. Aræ omnes conſecrant, ſanctiſſimi etiam tranſſumunt Viri, cum habeant quod imitentur.

ALTUM

ALTUM GLORIÆ

Celsissimus Jllustrissimus

DOMINUS GEORGIUS

LUBOMIRSKI

PALATINUS SANDOMIRIENSIS

Adquod omnia purpurarum virtutumq; flumina felici alveo decurrunt.

HActenus minore lembo trabeata flumina trajecit oratio, at gloriæ tuæ Oceanum JLLME PALATINE, inquem omnia decora influxerunt, quæ subibit oneraria? minores quasi velitationes in acie erudita luserunt ingenio, jam virtutum tuarum aggredi castra, campum dare meritorum exercitui, quis Gradivus etiam præsumet? Quidquid enim majores tui ad gloriam egerūt tu grandium corona operum, quamcunq; virtutis

triverunt ſemitam; tu uno tenes omnia paſſu. Tu magnæ Domus compendium, Dux Principum, Celſiſſimorum apex, ſumma Omnium. Quaſcunq; enim in LUBOMIRSCIJS dotes excelſas vidit Polonia, omnes in te uno ſpectantur, quæ hactenus SRZENIAVAM auxerunt laudis incrementa in te mixta fluunt, tu in vitreis undis, bonorum omnium ſpeculum, tu Cryſtallus aquarum, in quam omnes Illuſtriſſimæ Domûs radij concentrantur. Et parum abeſt, ut dum tam pulchris anfractibus vias omnes meritorum imples, à te SRZENIAVæ alveum incepiſſe dicamus. Vix itaq; aſpexiſti ſolem publicum non degener Lechicæ Aquilæ pullus, jam non unius Jovis Miniſter, jam fulmine metuendus hoſti videbaris, quaſi eodem tecum nido omnis gloria evolaſſet. Et certe in cunis tuis fortuna Sarmatiæ nata, ijſdem faſcijs tecum plurimæ virtutes involutæ, multumq; ſupebiunt tituli, quod cum LUBOMIRSCIO educarentur. Fuerant proinde qui ex oculorum tuorum acie futurum Martem præſagiebant, ex vultu purpureo, primum olim Senatorem, & vota hæc quamvis maxima fefelliſti; ſed ſuperando. Lachrymæ enim infantiles mille ſolatia promittebant Poloniæ, labentes greſſus in ſpem optimam patriam erigebant, quaſi cum Honorio reptaſſes per ſcuta, vincebas jam tunc omina populorum. Et prope fuerat, ut trabeæ omnes certamen ſibi indiceret

Juventꝰ magna ſpei Illmi Palatini.

detuis

de tuis humeris vestiendis, pugnarent fasces, qui propius ad limina nutricis aulæ vigilarent, nisi amplissimæ etiam purpuræ te pusione fuerint minores: breviores virgæ Patritiæ, quã ut postes tuos attingerent, ita vel in pumilione corpore ad spes maximas crescebas. Ut vero excubantes pro Te Honores tantisper falleres, noctes Atticas ingressus, somnia finxisti sapientum: ut fasces averteres, Virgam Mercurij accepisti. Adhuc tamen & ibi ingeniorum Princeps, in Palladis regno Senator primus, in oratorum castris, Dux styli adoratus. Cracoviensis Academia arenam tibi aperuit literariam, ubi palmam multis præriperes, plurimos superares intelligentiâ, vinceres applicatione. Hoc est: universitas scientiarum esse debuit, ut doceret te, quod nondum scires. Vladislaus Jagello sceptra Scholis, tu coronas dedisti sapientiæ; ille manum liberalem tu eruditum caput; ille cathedras, tu rostris omnibus vastius ingenium; Ille tandem professoribus præbuit alimenta, tu magistros omnes tuæ admiratione prudentiæ, abundè satiasti. In vrbe enim hac, ubi regibus coronæ imponuntur, tibi universitas ingeniorum prorrexit diadema; ubi neoelecti Principes ascendunt Solium, tu eloquentiæ Majestatem adieras: cum & tu quoq; Cracoviæ regnares in scientiis, facundiæ teneres sceptra, imperium omnis sapientiæ. Doctores enim ipsi à te recedebant doctiores, mâgistri plurima ex vultu tuo didicerunt

Studia Ill^mi Valerini Cracoviæ.

L cerunt

cerunt, univerſitas tota progreſſui tuo in literis ſubſcripſit, Juvenis tunc lectiſſime. Hinc Poetis omnibus, de te non fabula ſed Hiſtoria narrabatur: oratores laudes tuas amplificabant: Philoſophorum Theologorumq; tu unica theſis: Tu juris utriuſq; regula prudentiæ. Poſt ſtudia, placuit tibi exterorum etiam mores diſcere regnorum, post Tulliana flumina, Rhenum bibere & Sequanam, & capaci palpebra ſoles aſpicere peregrinos clariſſimo Oratori. Viderunt te regna plurima, & ex aſpectu hoc ut corallia erubuerunt, quod tuis dotibus purpuratis nil ſimile offerent aſpiciendum, præter te ipſum; adorarunt Provinciæ ad quas declinaveras; Orbis Europæus uni tibi ad junctus in cyphram abiit, ita tunc omnibus abſolutus numeris, peregrinaſſe dicebaris. Gallorum lilia acclini vertice, principem te hoſpitem ſalutarunt; inſcripſerunt foliis adventus tuos, & hactenus toti regno olent optimè: viret tui recordatio, quo Polonæ juventutis florem intulisti. Aula Christianiſſimi Regis domesticum te fecit coronarum, applicuit pectori Ludovicus, & fecit intimum cordi. Unde vero tantis affectibus dignus fueris? inter primos Gallicæ militiæ heroes, illos merebaris; expugnasti amoribus Regem, & ferro hostem, non parcus cruoris pro Francia, Princeps utiq; ſangvinis. Inde in Imperium idest ampliſſimum gloriæ tuæ theatrum veneras ubi non unam Principis perſonam, id eſt grandem ubiq; ſcenam in te ex-

Inexteris tum Gloria Patria verſa tus.

In imperio Heros & Generalissimus.

exhibuisti. Biceps Germaniæ Aquila bellicum tibi mirata ingenium, acutiorem ungvibus suis gladium, promptiorem in omnia pericula animum, quam sibi alas. Pluribus annis pectus tuum opposuisti pro muro Viennæ: & sparthano fortior erat; Manum pro clypeo Austriæ, & ancili Romano firmior, totum te pro ingenti præsidio, Josepho & Carolo Cæsaribus, & omnibus auxiliaribus copiis tutius fuerat. Absit autem ut gregarium militem aliquando egeris, sed victoriarum ducem, Generale robur exercitûs, etam nunc Generalissimum Imperatoriæ militæ, unus planè castra omnia. Tamprompta obsequia rependit Carolus alatis amoribus, vocalibus triumphis, affectu respondit; principem te Jmperij & cordis sui faciens. Unde qùidquid gratiarum pectoris sui ærario servaret, omnibus te ditavit, ornavit elogiis ausus tuos pulcherrimos, imo extulit laudibus supra celsissimos. Illa tamen, aularum tinea invidia, nunquā purpuram tuam arrosit, approbarunt omnium judicia quidquid coronatum caput sentiret de te, cumularunt favoribus, utpote Regnorum regumq; gratiarum. Non vacuis itaq; manibus sed palmarum plenis in patriam rediisti eó gratiori adventu, quod tunc plena hospitibus Polonia, cives amantes patriæ desiderabat. Agebantur tunc comitia eligendo Regi convocata, ubi tu pro serenissimo Augusto non exiguum suffragium, pro principe desideratissimo grande

Redit in Patriam pro Comitiis electionis Serenissimi Augusti 2di.

votum, pro Electore Saxoniæ Candidato, albus calculus. Campus tunc electoralis plurimorum ferax diſſidiorum littus ſterile arabat, verùm SRZENIAWA tuo fæcundante glebam, coronas imperiales peperit Auguſto Secundiſſimo, præivit prius non vana ſpes in herba, poſt fructus laboris tui pomum aureum maturuit, te cultore. Multi tunc voce aurea utebantur, ut tacerent, aut ſi locuti, verbis & nummis. Tui ſermonis gemmæ in coronam Regi fundebantur, gravitas orationis inclinavit Palatinatus in Fridericum, vox & ingenium promptiſſimũ præivit, ſenſum ſecuta tota Polonia. Et hæc eſt LUBOMIRSCIANÆ ſvadæ gloria! cum diſſerunt, reges proclamantur; ſermo electus qulibet, electorq; regum, hoc eſt cum loquuntur, Regna illis ab ore pendent. Tui hæc gloria ſtyli ILLUSTRISSIME PALATINE, qui orator ſed pro Regum Domo, diceris pro Majeſtate diſertus, conſcribendis Principibus dictator ſuffragiorum. In erigendo throno vidit plurimos ſudores tuos Rex ſereniſſimus, & uniones veluti pro concha corde collegit. Vidit ſol Poloniæ coronatus inſomnem te pro ortu ſuo auroram: & omnibus affectuum radiis exarſit in te. Atq; imprimis Sandecenſem præfecturam, primum veluti purpurarum mane donavit, ut per ſigna hæc titulorum ad meridiem Honoris aſcenderes. Ubi ita æquitatis luce refulſeras, ut nobilitati diẽ diceres ad judicia, crimina Phænices veluti, radio extingveres. Legum tibi demandata

Capitaneus Sandecenſis factus.

custodia

custodia, & Argum experti centum oculis prudentiæ perspicacem ipsi censores provinciarum. Gladium justitiæ accepisti, quem in filo decretorum tuorum, supra non unius scelesti Damoclis caput appenderes. Sed diutius te à conspectu suo abesse non passus Regum optimus, qui totius aulæ respectus merebaris, in oculis Majestatis versari jussit, in quo summa omnia videbat. Tantumq; Augustos affectus tibi obstrinxisti, ut nec in aciem Martis sine te posset descendere. Plurimi tunc quidem hostes Poloniæ campos belli arenam fecerant sed imprimis Leo Sveticus toto jacuit regno; non incolis tantùm, sed ipsi gravis telluri, cũ hac belluâ probare vires Pugil egregius voluisti, monstraturus Regi illi ferrarum, LUBOMIRSCIANI quid valeant humeri. Primo itaq; prælio ad Lizborg aggressus es hostem, sed hic vel ipso aspectu tuo territus, cum vultꝰ heroicos non posset ferre, terga vertit. Ita vel ipsis palpebris invisus, oculorum etiam tuorum tela non potuit sustinere. Secutus es cedentem acie Svecum, ne fugâ etiam triumpharet. Quantùm ibi victore gladio egeris, publica hactenꝰ loquitur fama. Plurimorum capita veluti papaverum nobilior Tarquinius decussisti multis vitæ nodos Gordiis difficiliores scidisti Lechice Alexander, innumeros ipse ensis tui fulgor excæcavit, ut fædè caderent. Strati cadaveribus campi ita tunc arctarũt aciem, ut viam tibi non nisi reliquerint ad triumphos ita se

Suecorum Victor imprimis ad Lizborg.

M hostium

hostium tumulis erexerunt, ut ne omnes ad internetionem deleveris, gressum tibi retardarent. Verùm eò te vincendi ardor extulit Illme Princeps, ut cum terrâ deesset iter, per hostium capita ad pugnam evolares. Secundissimum certamen obtulit tibi belli fortuna ad Szaniec ubi cum Julio prius hostem viceras, quam vidisti. Fateor numerosam suorum manum duxerat Carolus 12mus, ut tibi lauream eriperet, ferro armavit exercitum, ut tibi gravis esset, sed tam numerosus populus nihil tecum egit nisi animam, nihil in lucro retulit, nisi grandem sui jacturam. Chalybeæ illæ animæ cum se tibi opponerent, magis gladiū & animum acuerunt ad prælia, priusq; locus vulneri defuit in hoste, quam tibi ferrum, prius Svecus suorum clade fatigatus corruit, quam tu lassatus victoriis. Tibi itaq; adscribit Polonia vacuos hoste sinus, quos in nihilum redegisti, tibi Augustus secundus uictorias geminatas, omnes LUBOMIRSCIANO ferro pacem auream debemus. Aliter enim belli flammam excitare nescis, nisi in ignes triumphales, descendere ex acie, nisi depresso inimico. Togam induere, nisi Svecos viribus & vitâ exueris. Stipendia Heroicæ virtuti tuæ assignavit Mars gloriam immortalem, obligata Polonia obstrinxit se perenni memoriâ, Rex liberalissim9 bellica merita Metatoris castrorum titulo coronavit. Qui enim ubiq; prælia optimè disposueras, debuisti metari & castra, eodem campo quo

Deinde ad Szaniec.

Castrorum Regni Metator fit.

hosti

hosti cladem aſſignaſti, debebas, & tentoria figere, hoc est in quavis acie titulorum, priam occupare stationem. Quamquam ubiq; locorum fortitudini tuæ aperta planities, ſi enim omnes virtutes tuas in aciem ducere voluiſſes, toto orbe metari castra deberentur, & adhuc multis deeſſet campus. Ampliſſimum licet Poloni Orbis theatrum comitia Generalia toties implevisti orator, ut tuis laudibus arctari videretur ubi tantum stylo, quantum ferro in acie, tantum ore diſerto, quantum manu in præliis perſvaſisti. In illa libertatis officina aureas cudebas leges publicæ fortunæ faber, graviſſima Regni negotia tuis humeris impoſita, ut referres Majestati; prima nobilitatis postulata apud regem nonniſi ore tuo impetrabantur. Scribebas constitutiones, quas amor boni publici dictabat ſubſcribebas ſed intinctâ cordi pennâ, utpote toti Poloniæ dilectas. Quidquid a te pronuntiatum, laudavit vox publica; quidquid porrectum, omnes acceptarunt, quidquid illo tempore actum, ſæculorum opus credebatur. Hinc plurimi Palatinatus invitabant te, ut illorum nomine Legati titulos aſſumeres, ageres pro pace Regni Pacatum á terrarum Theodoſiis, pro bono deniq; publico optimis meliorem Mercuriũ. Neq; diu rogari debebas, qui commodis Patriæ diceris a cælo impetratus, impelli non poteras cui bene merendi gloria calcar addidit ad eundum in ſẽtentiam districtuũ, cum enim obſequio totius Patriæ te ſemel conſecrasti etiam

Sæpiſſime ad Comitia Regni Legatus ex diverſis Palatinatibus.

in victimam hanc abire gaudebas, cum servire Palatinatuũ votis honor tibi sit; gloriosũ proinde hoc ministeriũ recusasti nunquam, sed celeritate parendi præcurrens desideria populorum, aderas pluribus comitiis orator multiplex, pluribus di-visus negotiis, & semper integerrimus, multis di-stractus curis, & totus in singulis, sol veluti ex oriens, alius & idem. Ad tam innumeros Rei-publicæ usus plurimæ quoq; virtutes formarunt te, triverunt iter, ut viam bene merendi de Patria offerent semper. Clementia tibi Princeps, ut apum Regi, non in fucos degenerat, non aculeo horrida, sed svavitate morum ad gustum omnibus, sed melleâ condita bonitate, sed mitis-simi sermonis favo dulcis. Unde omnes Regni proceres à consortio tuo ut apes à Hybla pendent, sugunt Ambrosiam, quam ore fundis, delibant sermonis nectar, quasi in vultu placido Hymet-tum plantasses. Demissio tua celsissima ex alto quamvis neminem despicit, in fastigio acclinis omnibus, in summo æquilitatem amat, plane solem imitata, qui in meridie quamvis consi-stat, in ima proiicit radios. Et quamvis ultra homines assurgas titulis, adhuc diceris huma-nissimus, purpuræ tuæ rosa expungit nemi-nem ab aula, sed svavi odore trahit, sed amo-rem acvit apud omnes. Inde est quod illis quibus cæca est fortuna, ad Palatia tua apertum iter; admitis in conspectum, qui ab omnibus de-spiciuntur, pupillos Principe foves respectu. Vidimus quandoq; projectam paupertatẽ aurea

Illmus Palatinus virtutum omnium compendium.

a te

a te manu erigi, ſublevari jacentem in fimo miſeriam, & quaſi ad ſuccinum trahi paleam. Aliorum rutilans quamvis aurum nunquam lucem aſpicit, tumulantur opes, quibus pietas emortua, ſortes in urnam proiiciunt, quibus corrupta fætet liberalitas. Tu JLLME PALATINE auri tui radio mille egenorum animas Prometheos, exſiccas lachrymas, theſaurorum tuorum ſole, proijcis in terram argentum, ſed ut pauperum manu colligatur. Templorum quoq; indigentiam Principe tegis purpura, aras ſerico involvis, daturus & viſcera in cultus divorum quaſi te bombycem natura formaſſet. Etiam hoc titulo columna Religionis attolleris, quod labentes plurimarũ Eccleſiarum parietes in ſpem erigas meliorem, dicitur multorum fortuna templorum, nummorum tuorum orbe ſtare, ne cadat; tuæ oculus providentiæ firmat plantas murorũ ne labantur. Hæc & plura alia dicerẽt de te hiantes ſacrarum ædium ruinæ, niſi illis ora auro obturares, perſvaderes nummis, ut taciti ſint liberalitatis tuæ oratores. Giges plane Sarmaticus in gemmis quas donat aris, videri non vult. Florem ſacrati cultus quem explicat, ſub roſa eſſe deſiderans. Sileat itaq; alibi aurum tuum Illme Palatine, in Societatem JESU profuſũ vocale eſt, reſpondemus ſonãti argento tuo, grata Echo, reddimus pro te ſupplices cælo voces, pro gratiis in nos collatis, quilibet Sociorũ clamãtis vox ad ſuperos. Szarogrodenſis miſſio noſtra claſſicum eſt liberalitatis tuæ quo rudis

Soc: IESu Szarogrodi Fundator. Koniecpoli Benefactor. liberaliſſimus.

N dis

dis illa plebs ad sancta omnia excitatur, & te melioris Fidei proclamat fundatorem. Nescit fines in limitibus regni beneficentia tua, quâ cum totam Poloniam impleveris, ad ultimas quoq; Lechiæ partes, plenas gratiis manus extendisti, nullibi terminales columnas, & non plus ultra ponens favoribus. Nec Koniecpoli meta est munificentiæ tuæ, amplias illam grandibus bene factis, atq; Koniecpoliis Atlantibus nostris Hercules successisti, religiosum cælum manu tenens.

Uxor Illmi Palatini ex familia antiquissima comitum Starchausen.

Tot tantisq; virtutum capitibus parem coronam, tot coronis meritorum gemmã connubialem, tot gemmis virtutum, unionem addidisti æstimatissimum, lectissimam fæminarum conjugem tuam Illustrissimam Joannã Comitissam de Starchausen, & quasi aureo *Srzeniavæ* Tagum gemmeum copulasset Hymæneus, omne pretium defluxit in domum vestram: tanquam rosæ ad strinxisset lilium, omnium flos purpurarum, cum virtutum centifoliis in terra hac succrevit. Domus enim hæc ex qua prodijt, cum Germania nata, tunc lucem aspexit, cum soles Augustissimi in Austria orirentur, lineam sangvinis ducens, non uno incepit à capite coronato. Adhuc tamẽ plures purpuras quam annos numerat, plus meritorum quâm dierum vixit, nunquam senio inclinata, quia sceptris pluribus subnixa. Ex hac gente plures Principes prodierunt, quam Cretâ Joves, plures peperit Patritios qua Cornelia Gracchos, quam Spartha Epaminondas. Unde communiter in Imperio domꝰ hæc purpurarũ dicitur Florida

non

non unius solis trabeati Regia, aureorum pomorum hortus Hesperius. Pater Consortis tuæ Jllustrissimus Comes Starchausen Leopoldi Cæsaris Achates fuerat, aulæ delicium, virtutum omniũ comes. Si quando armavit ferro manum, non unus Mars ictum timuit, si evaginavit gladium, fulmen orienti imminere visum, si hostem percussit, castra omnia ceciderunt. Principes Aesperg illius sangvini debent purpuram, Eminentissimus Lamberg fortunæ ipsius rotã Cardinalium, Alexander Archiepiscopus Freisinẽsis pallij sui lanam aureo Parentis vestti debet velleri. Imò quidquid titulorum per Germaniã, Austriã Bohemiam clarescit, hac domo ortum habuerũt quidquid celsissimæ colligationis, illi filum honoris debent. Quidquid tandem floris purpuræ derivant, gens ista Pæstum est rosarum. Hæc & plura alia decora in domuũ tuam Celsissime Palatine intulit secum sponsa illustrissima, illud vero maximum, quod te pulcherrima prole beavit, Poloniam auxit principibus. Geminos filiorum tuorum, duos olim cæli Patrii soles in oriente adoramus, multiplex illi unio coronatum, bina regni fortuna educatur. Utriq; in vultu magnus Genitor apparet, oris verecundia purpuras pollicetur, juventutis flos non unum Poloniæ Florum præsagit. Celsissimus Stanislaus Sandecensis Capitaneus, innocuis moribus Kostkam, florida virtute refert Hyacinthum, titulis omnibus LUBOMIRSCIUM Jn Celsissimi Josephi Jahorlicẽsis Capitanei vultu gratiæ omnes consederunt, in

Proles Illmi Palatini ad summa omnia nata

animo Josephi florent lilia, & totus plane juvenis integerrimus Pudicus est Boleslaus. Erit ut Mars hic qui ambobus ex oculis prospicit, auguria vincat omnia, omnem superet expectationem, triumphalibus natorum moribꝰ Patris vota coronet. Jam Celsissima Anna Carolina, ut vultu sic moribꝰ niveis Pulcheria est. Virgo hæc prudentiâ superat Palladem, animo Dianam, dotibus omnibus Pandoram. Prope est ut Nympha hæc Srzeniavæ Joves regnorum amore sui capiat, celsissimi Patris fascibus clavas, scipiones, sceptra omnia æterno adstringat nodo.

Sed quid ego purpureæ Classi tuæ remoras pono quâ per Vistulã properas ad Caput bonæ spei Sandomiriam. Expectat te urbs hæc patentibꝰ portis, conchis veluti gemmam senatorum, universæ nobilitatis flos corda & ora aperit ad te salutandum, cum sol trabeatus exoreris, astra omnia Palatinatûs ardent tui desiderio, viamq; lacteam cõponũt ingressui pulcherrimo Societas JESU inter primos concurrit adoratores, votisq; suppedaneis sternit viam. Æternùm regnet Serenissimꝰ Augustus secundꝰ, qui merita tua hoc titulo coronavit, sudores pro Patria purpurâ detersit Palatina, lassos publicis laboribus artus tuos sedere fecit in curuli. Tu vero Illustrissime Palatine inter sidera Palatinatus istius collocatus, æternos vivas soles, lana Tyria perenne vitæ filũ ducat. Srzeniava getilititus in omnes sese ætates effundat, nullibi fatalis arenæ portum habiturus

PANEGYRICUS.

EA est in plerisq; mortalibus perennaturæ apud posteros Famæ cupido; ILLUSTRISSIMI PROCERES, AMPLISSIMI SENATORES EQUITES NOBILISSIMI, VIRI quà Virtute, quà Scientiâ ORNATISSIMI: quòd huc sua omnia studia, huc omnes curas, huc vitæ labores conferant; ut immortalem sui memoriam posteritati relinquant. Atq; hæc communis est hominum animis affectio! ut æquus ille rerum ponderator ac in dicendo primas tenens Tullius affirmare non dubitârit: * *Vix invenitur, qui laboribûs susceptîs periculîsq; editîs non quasi mercedem rerum gestarum, desideret gloriam.* Nec mirum id esse de-

* 1 de offic.

debet, si ii, qui desiderant honorari in id vi[...]
mnes impendant; quô illorum existimationis in[...]
gentiæ subveniri queat. Et quidem minimè in gloriam censerem hujusmodi perennis Famæ cupiditatem, si intra certos justæ limites moderationis contineri valeret. Quemadmodum enim imber leni ac temperato lapsu decidens, agris fertilitatem, ubertatem Provinciis, Regionibus optatos causat fructus. idem si exundans, supernis impatiens teneri cataractîs, nimius ac violentus depluat; sata læta evertit, campis vastitatem, frugibus perniciem importat: ita gloriæ cupiditas quamdiu tenebit modum, et præscriptis se terminis contineri patietur; laudi erit et honestati: quodsi debitos ultra fines proruperit, quos illi ratio virtusq; præscribit; incredibile dictu est, quæ communi bono damna, quas publicis, privatisq; rebus afferat calamitates. Sed pro dolor: communis inter homines nævus est ut in quærendo Honore pleriq; modum non teneant; et cum pernicie publici boni justos quærendæ gloriæ limites excedant.

Aliter longè vitam Principe dignam moderaris CELSISSIME PALATINE. qui multò, majus quid censes mereri honorem quàm eôdem honorari: multò dignius existimas dignum esse ornamentis honorum; quàm iisdem exornari. Inde factum est, quòd non ambitu, non sollicitîs conatibûs, non curæ molestiîs honorem quæsieris: sed illum gestîs & meritîs honore dignîs, ipsiusq; nominis dignitate adeptus sis & ; quem multi ambierunt, unus absq; animi sollicitudine reportares.

Ex nova hac dignitate quantâ Senatus Poloniæ incendatur voluptate; quantum Ordo Equestris gaudium percipiat, quantam tota Respublica hilari-

tem præſeferat, quantâ exultet lætitiâ mini-
JESU Societas; Orator ſatis remonſtrare non
alet. Delectantur Te magno Collegâ Regni Proceres, gaudent de Patriæ Patre cuncti Reipublicæ Ordines, aguntur in trîpudia Patriæ Cives; applaudit ſincerè noſtra Societas: unum Oratorem difficultas premit.

Videlicet anceps hæreo: an honorem Principi gratuler LUBOMIRIO? an honori de Principe applaudam? Major eſt Princeps honore, minor eſt Principe honor. Virtus ſuperat honorem, honor virtuti ſubeſt: nempe * *gloria virtutem tanquam umbra ſequitur.* Ut virtus ſplendorem habet ſupra honores eminentem; ita gloria pediſſequa virtutis eſt umbra. Conciliabo tamen pro modulo, virtutis in Principe dignitatem cum honoris præſentia; ubi optimè honorem Principe donatum, Principem optimè honori ſociatum declaravero.

Hac laudum conſenſione ubi applaudemus Principi Palatino, amorem cum candore teſtabimur; ſi absq; fuco ſincerè loquemur; animum penſabitis ſimultatis neſcium: ſi minus condignè pro honoris & Principis dignitate perorabimus; veniam AUDITORES BENEVOLENTISSIMI concedetis.

PRINCIPE DONATUS HONOR

NOn ſine laude pro Gloria peroravit Romanæ Princeps Eloquentiæ, ** *honorum gradus ſummis hominibus & infimis ſunt pares, gloriæ diſpares.* Aliud ſcilicet eſt honore donari aliud veram gloriam obtinere. Honor quandoq; in minus merentes conferri poteſt, gloria vera optimè

* Tusc. l. 1. ** pro Plancio.

mè nonnisi meritos condecorat: nimirum: *ver[æ]* *uni virtuti debetur* Honor ab illustrium scriptorum C[ho]riâ Lipsio, definitus, ** *est titulus supra cæteros, le[-]* *ge aut morè concessus.* Hunc, quia plerumq; more & consvetudine magnorum conceditur Principum, qui magis, placitos, sibi obsequendi studiò, quàm boni publici amore Viros honorum ornamentis præmiare acceptum habent, consvetudine altera lege hominibus etiam virtutis expertibus deferri contingebat. Ut enim de Divino taceam, qui (: laudato Lipsio teste :) ** *ad superûm Cælestemq; cultum pertinet*, honor humanus *curam & administrationem tangit rerum* âbsq; virtutum studio multis donari consvevit, Supremi & absoluti rerum Dominatores, multos, (: modo quâ in agendo activitate polleant :) curam & administrationem rei suæ facientes, honoribus cumulare morem tenuerunt: at laus vera unius virtutis merces esse debet. Hinc Gradus honorum cùm hominibus etiam infimis obvenire soleant, cum veræ gradibus gloriæ comparari haud queunt. Cùm verò *,* *is gloriâ maximè excellit, qui virtute plurimùm præstat;* ille censendus est major honore, quem virtus ipsis honoribûs facit eminere. Et si quis virtute Principem agere probatus sit, illum honore superiorem esse necesse est: cui si honor in munus offeratur, magis ille honori, donum est quam illi honor. Exornare nempe honorem, est donum esse honoris & ornamentum: sicut carior aurô gemma vel pretiô excedens aurum, lapis, annuli decus est; quòd annulum exornet, & suô eundem pretiô ditet. Solem, Cæli ornamentum arbitramur, quod suo illud splendore illustrius reddat: ita pretium & splendorem addit honori, cui pro-

De O rat: ** De magistrat: Vet: Pop Rom. *,* Cic: pro Plancio.

proprium eſt magis honorem decorare, quàm eò adornari. Nimirum qui prius dignitate, præſtat, quàm ei dignitas conferatur is potiùs exornat honorem, quàm illum honor. Quod non ideo affirmat Orator, quaſi magno partis conatu Honoribus pretium diminuat invidus, ſed ut propoſitam ſtabiliat firmiùs veritatem. Jam ad ſcopum Orationis collimemus.

Magnus virtute ac Nomine ANTONIUS PRINCEPS LUBOMIRIUS honorem Palatinum potiùs non exornet? Muneri tanto non emineat? qvi haud naſci poterat niſi in primo ſtatim exordio titulo Principis inſignitus? Atq; ut Te ipſum compellem Principum CELSISSIME dignitate á Majoribus derivata; nominis & meritorum amplitudine honorum ornamenta ſuperaſti. Nominis magnitudinem primis in Patria decoribûs eminentem tam facilè probant Primores tui, quàm non difficulter illis fuit ſeu ſcipiones Regni attollere, ſeu primas trabeas ſuccollare. Abavi tui STANISLAI Comitis in WISNICZ & IAROSŁAW, Palatini Cracovienſis, Caſtrorum Cracovienſis, Spiſcenſis, Zatorſcenſis, Niepołomnènſis, Dobczycenſis Præfecti virtutèm primis in Regno Purpurîs, Mitrîs in Jmperio Priicipibûs eminuiſſe marmora loquuntur: * *ſemper honoribûs major, Caſtellanatûs Cracovienſis faſtigium & ſupremos in Regno Præfecturæ Exercituum faſces recuſavit. Principis Jmperii titulum à ſecundis AUGUSTIS FERDINANDIS ultro oblatum immiſſumq; non induit; ſed velut pignus Jmperatorii de ſe judicii in modeſtiæ ſcrinio depoſuit.* Principis titulum recuſavit: nec tamen virtutibus Principe dignis Princeps eſſe deſtitit: quod Cæli ipſi confirmare viſi: cum enim ante ultimos vitæ immortali memoria dignæ dies; juſta perſo-

 lutu-

* apud Starovolsc epitaph:

luturus, piè defuncti ZBARAVIÆ DUCIS JANUSSII Corpus *Heroo* impositum inviseret DEO sic ordinante, illos Vatis Coronati versus occini suum ad ingressum excepit, ** *vos autem sicut homines moriemini, & sicut unus de Principibus cadetis.* Meruit nempe Vir vel Celsissimis eminentior titulis, ut velut unus de Principibus glorioso caderet triumpho & qui Principis excusavit titulum, Princeps ipse Divinitus promulgaretur; demum ad Coronam Jmmortalitatis celsiùs quia ad Superos, ex casu mortalibus communi assurgeret. Proavus tuus GEORGIUS SEBASTIANUS Supremus Regni Jrenarcha, atq; alter in Campo Martio Exercituum Ductor cum Scipione Clavam Ducalem, unà integritatem Reipublicæ manu tenere novit. Successit magni Patris magnus Filius Avus tuus STANISLAUS HERACLIUS Supremus regni, Mareschallus: qui * non aliter Regibus præibat; nisi quoq; commune Patriæ fulciret bonum. HIERONYMUS AUGUSTINUS, atq; GEORGIUS DOMINICUS Propatrui, THEODORUS Patruus tuus, honore ac virtute eminentes. LUBOMIRSCII, Primus Castellanus duo reliqui Palatini Cracovienses, primas Regni Purpuras adornarunt. JOSEPHUS posteritatis memoriam promeritus immortalemCzerniechoviensi, GEORGIUS magni Progenitoris tui Frater Sandomiriensi Trabeâ insignes, Patres Patriæ emeriti: JOSEPHUS Primi Germanus Jnfulâ Tinecensi eminentior, cuncti suis honoribûs digniores adorantur. Viri reliqui pluribus & primis in Regno Castris Præfecti, publicisq; aliis Regni muneribûs clari, malebant honores virtutibus demereri, quàm iisdem præmiari

Vestri supremis honoribus superiores LUBOMIR-

** Młodzianowski Cone Tom 3. * Cromerus & Thesaurus Polono Latino Græcus.

MIRSCII Nominis magnitudo, quia vastissimis licet Regni Terminis comprehendi nequibat, & quia honores superare Patrios est visa, ultra vastam Poloniam extendere se debuit. Quia vestris gratae meritis Patriae finibus claudi, non valebat; ad sacri Romani Jmperii Principatum est evecta.

Jnde patet, quantum Domus LUBOMIRSCIANA ipsos honores superare visa est; ubi pluris veram virtute gloriam, comparare malebat, quàm publicis muneribûs decorari: ubi à tot Romanis Jmperatoribus ad Principum sacri Romani Jmperii Purpuras invitata, illîs decorari erubuit sed easdem virtutibûs Principe dignîs maluit demereri: & tandem post multas Jmperatorum invitationes cum vèra gloria, ut debitae virtuti praemio, invita vix suscepit. Honoris istius praestantiam multîs evolvere documentîs non est animus Oratori; ne hujus splendor dignitatis oculos invidiae perstringat. Jnnuere sufficit, quod statûs Jmperii Romani Explanator declarat: * Jmperatoris dignitatem eam esse scribit, quae Jmperio Reges sibi subjectos gubernare, Regis authoritatem, sceptrò Principes regere, Principum potestatem in Marchiones extèndi Marchiones Comitibus eminere. Quidquid igitur in Comitibus & Marchionibus, Jmperii Romani Senatoribus honoris est: illud sacri Romani Jmperii Principes continent, iisdem eminentes. Jam si Politicorum Coryphaeus Lipsius nuncupari Principes docet: * *qui in proxima spe ad Jmperii successionem permanerent*; scilicet: *ut Jmperator veteri exemplo & Nomine Princeps Senatus sic isti proximum titulum fruebantur Principum Juventutis.* Jmperii Romani Principes, ut ipsis Jmperatoribus succederent in Thronum, eo jure donari, haud ambiguum est O honoris eminentiam! o sortem Principum celsissi-

 mam

* Bonifacius Amerbachius. * l. 2. Electorum.

mam. At ne ab extero ſole lumen veritati derivare dicar; ad Domûs LUBOMIRSCIANÆ meritorum in Patriam ſplendorem venio. Honorem Principe donatum tantò certiùs evincam; ſi præter Nominis Majeſtatem, meritorum amplitudine à Domo LUBOMIRSCIA honorum ornamenta ſuperari demonſtrabo, Meritorum amplitudo glorioſè & ſanctè dividitur in merita erga Rempublicam & Eccleſiam: orthodoxæ enim Reipublicæ Cives, non modo in Patriam, aſt ſimul in Eccleſiam Dei pios eſſe oportet: propterea Domûs LUBOMIRSCIANÆ merita ad duo capita revocare ſtatui; unum, quo LUBOMIRIORUM Pietas in ſuperos oſtendatur: alterum, quo amor in Patriam comprobetur. Nam ut à cultu Divini Numinis principium ducam quod ut omnis eſt fundamentum pietatis; ita Regnorum, Familiarum, magnarum Domorum dilatationem facit glorioſam; à pietate in Deum & ſuperos exordiar. Liberalitatem in Divos LUBOMIRSCIANAM loqvuntur marmora, lapides Templorum deprædicant, Domorum Dei parietes divulgant, Loci ſuperum gratiîs celebres extollunt.

Atq; ut ordine Familiæ procedat Oratio; ab JLLUSTRISSIMO SEBASTIANO LUBOMIRSKI. Caſtellano Małogoſcenſi, dein Voynicenſi. Caſtris Sandomirienſi, Spiſcenſi Dobczycenſi, atq; ſaliſfodinis Reipublicæ Præfecto, qui Abavum JLLUSTRISSIMI Noſtri procreavit Palatini, initium ſumo: de Hoc ex Epitaphio Celſiſſimorum Familiæ Virorum Okolſcius ſuo in volumine annotavit: *antiqua pietate Senator, in Clerum & Religioſos Ordines effuſè propenſus, bellò & præliis clarus,* Hunc Divorum Poſtes pium in Superos exhibent: eminet Ejus in Deum liberalitas in monte *Bielany* dicto ad Craco-

vi-

viam, quem cum sylva, Camaldulensibus pro Fundatione, ac eidem augendæ villam cessit; sacellum Divo sui Nominis Tutelari sacrum, erexit; & adornavit: testantur munificentiam in superos marmora, quibus in prima Poloniæ Metropoli Cracovia ad Templum Sanctissimæ Trinitatis Ordinis Prædicatorum Sacrarium magno sumptu erectum cinxit; bonis * *Volica* providit: extollunt eundem in Cælos Pyramides quas ibidem exstruxit. Largus illius in Deum animus etiam ultra ** Antemurale Christianitatis Poloniam se protendit- Monachii nempe, Templi Patrum Societatis JESU Aras magnis ex argento ditavit ornamentis.

Minimè defecit à prodigo in Numen animo Filius STANISLAUS Nostri Principis Abavus. qui clarissimum imitatus Parentem tam piè sanctis institit vestigiis, ut non modò assequi summi sui Progenitoris gloriam visus sit; verùm & lòngissimis in liberali erga Deum pietate passibus eum antegredi sit probatus. Hic eô Orthodoxæ fidei zelô, ea pietate in Deum, illâ in Superos munificentiâ fuit commendatus; ut suæ impensis Fortunæ vicena Domino Cæli & Terræ Templa à fundamentis erigere laborârit. ** suam illi debent Majestatem augustæ in VISNICZ erectæ Servatori Christo Ædes; quas sub expeditione triumphali Supremus Exercituum Jmperator exstruendas vovit: ac eodem loco Religiosis Carmeli Cultoribus Discalceatis sat magnificum Cænobium ædificavit; idemq;divite muneratus est apparatu. Suum illius Pietati grata debet Religio firmamentum & propagationem in Templis; jam Lubartoviæ, jam Podolencii, jam Cracoviæ sub titulo Jmmaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis

C MA-

* Cichocki alloqu: Osecens: ** Mieruikowicz in paneg
*** Piasecius in annal:

M RIÆ, ubi Fanum proſtabat Hæreticorum, * *Brog* dictum; ibi marmora promulgant Nonum illud Templum quod ex lapide erigeretur. Cracoviæ itidem in æde Sancti Michaëlis, in cujus ſtructuram viginti quatuor nummûm millia impendit; in *Grodek* quoq; Monialibus S. Dominici ad Dei gloriam educandis alimentorum uberem impertiit pagum. Sacrarium ſub Nomine Divi Caroli Borromæi *Niepolemniciis* dicatum, Templum ex manibus fidei & Religionis profanatorum, hæreſeos aſſeclarum vindicatum, à ruinis reſuſcitatum curæ & cultui Religioſiſſimis Ordinis Prædicatorum Presbiteris commiſſum, itidem erectum Lubartoviæ in confiniis Volhyniæ, Cænobium, Collegium Podolencii Religioſis Clericis Pauperibus á Matre Dei exſtructum illius liberalitate coram Superis gloriantur. Præpoſitura Lancucienſis, diſſidentibus ab Eccleſia Chriſtiana Hæreticis expulsis, Religioni Orthodoxæ reſtituta, Jllius pietati libertatem; Viſnicenſis Vicô *Stradomia* dicto ex STANISLAI Gratiis dotata, ſuam adſcribit dotem. Deniq; aucta in veri Numinis & Divorum cultu Religio, propagata fides, conſecrata Templis dicata Aris ordinatis Sacrificiis ac Dei laudibus perpetuò amplificandi, Sancti reſtitutionem ſceptri, ſacri ſtabilimen Regni cultûs incrementum Divini pio præbet STANISLAO. O liberalitatem in Superos profuſiſſimam. O ſacerrimum Religionis amorem.

Hunc ut poſteris commendaret imitandum, dicere ſolitus eſt STANISLAUS: *Sufficiente ſum fortuna ditatus, aliquando, tamen defectum pati cogebat neceſſitas, ut cum Deo dividere fortunam cœpi ipſe ignoro quali Numen optimum modô omnia mihi fortunet* * O! vocem auream O dictum Faſtis perennaturis ac monumentis prædicandum: O dignam Chriſtiano Principe, dignam omni-

* Pruszcz Fol 32. * Młodzianowski conc: Funebr: fol: 597.

omnibus, qui populis præsunt, commendationem.

Hac moti magni Prædecessoris non minores succedanei pium in Religionem, liberalem in Deum, largum in Superos animum ita testati sunt; ut quamvis divisam cum Deo Fortunam Ope augeri Superna minimè dubitarint: pro sacra tamen prodigalitate haud voluerint.

ALEXANDER MICHAEL LUBOMIRSCIUS laudati STANISLAI Filius ex Præfecto Stabuli Regni, Palatinus Cracoviensis, ut sponso animarum Christo Aram Divini amoris consignaret; ad Crucifixi prodigiis celeberrimi effigiem in Templo Soc: JESU Bidgostiensi annulum pretiosum insigni divitem saphiro, atq; terdenis distinctum adamantibus pro anathemate appendit.

Religionis, amatores LUBOMIRSCII ut continuò pietatis in Deum persolvebant jura; ita post Deum nullo non pietatis Officiô MARIAM. Dei Genitricem coluerunt. De quo nunc pauca ad laudem innuimus, ALEXANDER in claro miraculis Marianis Częstochoviensi Monte Filium suum JOSEPHUM auro ponderavit, quod pretium Reginæ Poloniæ, Pretiosissimæ Dei Parenti devotus obtulit: * unà ostendit vel aureos esse LUBOMIRIOS, vel eos auri pretium superare. Monstravit hanc auream LUBOMIRIORUM. & in Divos munificentiam, ubi Sandomiriensem Filiorum Seraphici Patris strictioris observantiæ Conventum ita ditavit beneficiis, ut inter Fundatores ejus loci jure numerètur.

Simul cum prodigiis Częstochovianis universi Reginæ amor liberalì animô monstratus est in JOSEPHO CAROLO LUBOMIRIO primùm stabuli Regni Præfecto, dein utriusq; Regni Scipionis, Successivè Portitore laudati STANISLAI Consobrino: hic

* Nieszporkowicz: *Odrobiny stołu.*

hic in testimonium tenerrimi sui atq; pretiosi amoris in MARIAM cor aureum Matri amoris dedicavit: utq; pateticum erga Deiparam amorem exponeret; auream tabulam Virgineis affixit aris. Pretiosissimam verò Dei Genitricem etiam fortunæ suæ decoribûs adornaturus, magni valoris dono, pretiosis adamantibûs ditissimô, jconem prodigiosam splendere fecit.

Auxit Orbis Reginæ universi splendores GEORGIUS SEBASTIANUS LUBOMIRIUS Supremus Regni Mareschallus, Exercituum quoq; Dučtor, Principis ANTONII Proavus dum pretiosum Exercituum Jmperatoris Decus & insigne Clavam, Castrorum Aciei Ordinatæ MARIÆ in eodem claro Monte consecravit, Neq; hic terminum posuit sacræ in Cæli Reginam pietati; Ressoviæ Religiosis ex mente Beati sui Fundatoris, MARIÆ Cultoribus, ejusdemq; cultûs in juventute á fortuna non bene provisâ Professoribus (: qui ex eo Piarum Magistri Scholarum nuncupantur :) Collegium à fundamentis evexit; Templô eosdem donavit, ut se Orbis Dominæ Religionis quoq; Cultorem evidentiùs remonstraret.

Quid de STANISLAO HERACLIO. Nostri avo Palatini loquar, Fidei & Religionis Defensor ac vindex acerrimus in *Spiz* hæretica pravitate polluta expurgavit Templa, indigna Hæreticorum exemit potestate, vero Numinis cultui dicari curavit. Parum erat cultûs Divini amatori ardentissimo collapsam Religionem erigere, hæreticam evertere superstitionem. etiam novas Nomine Divi Bonifacii sacras ædes Czerniakovii, beneficentiâ exstruxit singularî, atq; ut tantò sanctiùs laudibus Divinis Ecclesia resonaret; choró celebribus & Religiosæ

Vi-

Vitæ diſciplinâ conſpicuis Sancti Franciſci Filiis de obſervantia (: ut vocant :) diu noctuq; laudibus Dei accinerent, Religionem promoverent Religioſam Domum ædificavit. Quàm vérò Cælos usq; altiſſimos pertingente excelleret humilitate, manifeſtavit; dum lapidi incidi juſſit ſepulchrali: *hic jacet peccator, hujus loci Fundator* O altam demiſſionem! O demiſſum tituli Fundatoris uſum! qui dum ad peccatoris nomen dejicit Fundatorem, ad Cæli faſtigium attollit.

Non receſſit à Sanctis Germani Fratris ſui veſtigiis HIERONYMUS AUGUSTINUS LUBOMIRSKI, Prìnceps Senator, quia poſt Faſces Palatinos, Caſtellani Cracovienſis Primatu eſt decoratus. Dum Reſſoviæ pariter Religioſævitæ ac Sanctæ paupertatis rigore inſignibus Viris Fratribus de ſtrictiore obſervantia Sacram Cænobii habitationem cum æde laudibûs aſſumptæ in Cælos Virginis ſemper ſonaturâ fundaret; ſibi perennaturæ ex hac in Cælorum Jmperatricem pietate laudis poſuit monumentum.

De GEORGIO DOMINICO LUBOMIRIO Supremo Regni Succamerario dein Palat: Cracov: Noſtri propatruo PALATINI qùid proferam? ſonat per univerſum Chriſtianum Orbem Fidei Orthodoxæ zelus Religionis amor invictus, celebratur per late patentem Europam immortalis Gloria ei religionis amore comparata, proſtat in libera Civitate Torunio Coloſſus vindiciarum honoris Mariani teſtis, perennemq; Divorum VINDICIS laudem ad Superos extollit zelô cultûs Divini & Sanctorum acquiſitam, eundem vindicante incorruptæ Juſtitiæ rigore partam, immortalem famam perennatura nunquam tacebunt ſæcula, Triumphales æternis laudibus exarati referent lapides, Faſti venturæ tranſmittent ætati; ſu-

um Tutorem Religio, Fides Defensorem, Cultus Superûm Vindicem, profanatus Dei honor Ultorem tota felici æternitate celebrabunt. Celebrem illam contra Torunenses Hetorodoxos (: sacrilegos :) Jconoclastas, Sacrorumq; locorum violatores, commissionem Regiam in memoriam revocate.

Tangere liceat Oratori ad Nominis LUBOMIRSCIANI Gloriam, quod publicis cum Decreto contra Sacrorum Profanatores lato porrectum est tabulis. Quis in causa honoris Divini contra novam Jconomachiam Themidis gladium fortiter strinxit. LUBOMIRIUS. Quis despexit infamantia Justitiam hæreticorum scripta: LUBOMIRIUS. Quis Regum atq; Principum respectu minimè ducebatur LUBOMIRIUS. Quis Heterodoxorum ab Ecclesiæ Capite avulsorum Monarcharum minas contempsit? LUBOMIRIUS. Quis pro honore Dei Matrisq; Ejus Sanctissimæ pro Divorum Tutelarium cultu vehementer obstitit? LUBOMIRIUS Quis intrepidus Sacrilegiorum Caput, quod Urbi Sacrorum profanatrici præsidebat sub ictum carnificis damnare fecit? LUBOMIRIUS. Quis deniq; totam, circa Religionis integritatem negotii molem sustinuit? LUBOMIRIUS. An ille Templum hæretica superstitione profanatum veræ non restitueret Religioni, qui prodigiis claro Częstochoviensi Sanctuario centena Nummûm millia consecravit. Polonnæ Templum Nomine Divi Antonii cultui Divino dicavit; residentiam atq; salutiferæ missioni Soc: JESU obtulit: Grata pro gratiis minima Societas persolvit in loco gratias, annuum quotannis offerendo ad aras pensum pro GEORGIO DOMINICO LUBOMIRIO reddit Deo per menses singulos, hebdomadesq; statis diebûs Sacrificia; Gratiis obligata Provincia Po-

lo-

Jona, singulæ quoq; Societatis Personæ ad aras justa persolverunt, imò & quot quot per Orbem universum nostræ Religionis viri recensiti sunt, singuli per sacrificia incruenta Sacerdotes reliqui per Coronas precatorias (: quod pro cæteris omnibus Fundatoribus ac Benefactoribus in singulari præscribit Jnstitutum :) LUBOMIRSCIORUM Nomini gratos se testati sunt. Non absimile grati debitum animi refert noster Ordo ALEXANDRO LUBOMIRIO, qui liberalium in nos monumentum gratiarum ad Domum Divis PETRO & PAULO sacram Cracoviæ reliquit. Jnfinitus essem, si omnes quot quot Religione in Deum pietate in Superos in Domos sacras liberalitate præstiterunt LUBOMIRII, non modò dicendo celebrarem sed vel numerando; recenserem.

Ut taceam alterius è Domo LUBOMIRIANA devoti Sexûs teneros in aras amores: CHRISTINA KONIECPOLII Castellani Cracoviensis Conjux Jconem B. MARIÆ miraculis Claram Mysleniciis torque aurea pretiosa & Cruce lapidibus pretiosis ditissimâ exornavit * Alterius CHRISTINÆ GEORGII Mareschalci Filiæ in Cæli dominam amores, Divorum Cultum, in Superos pietatem, vitæ austeritatem, Christianam perfectionem, Gratias Divinitùs concessas, justo volumine, vitæ Jllius scriptor, ejusdem in Spiritu Pater è Societate nostra, Sacerdos fastis inscripsit: quæ videlicet sanguinis proprii Chirographô se in mancipium, Mundi Reginæ obligavit. Divum Soc: JESU Fundatorem, vitæ à lue pestifera liberatæ Restitutorem jejuniis & Sacramentorum accessu insigniter coluit, ad Surovovum Templum Sancto Lucæ exstruxit, Sokali ædem San: Michaëlis magnifice adornavit; Crasnostaviæ Basilicam Xaverianam pretioso apparatu, sacris calicibus & Monstratorio summâq; pecunia-

* Alb: Ofiarowicz in Diva Myslenicensi.

riâ Confundatrix ditavit; corpus tenerrimum catenîs ferreis, ciliciîs, disciplinîs, afflixit, vitæq; Sanctitate perfectæ finem Spiritu Divino prædixit.

Parco memorare ELEONORAM in extrema infirmitate ab ipso in Persona Christo Domino Corpore Divino recreatam, piè vitâ functam, Cracoviæ in Sepulchro PP. Prædicatorum incorruptam. *

Omitto ZOFIAM. Monialem, S: Norberti Regulis Sacram in Zwierzyniec prodigiis in vita & morte claram. **

Ad alteram assumptionis, Partem, Oratoriæ procedo: Domus LUBOMIRSCIANÆ amorem in Patriam ille sibi comprobari vendicet: qui vel Reipublicæ Polonæ statum ignorat, vel in luce publica minimè versatur: Sole namq; clariùs patet, quid LUBOMIRII in Republica gesserint; quæ incommoda pro bono communi pertulerint; quibus se periculis pro Patriæ integritate devoverint.

Pium nempe in Patriam Civem hæc tria probant: magna ponere in Republica pro Ejus conservatione Rectefacta; incommoda pro bono communi perferre; & si opus sit, amore Patriæ in pericula se conjicere; Hæc in LUBOMIRIIS compendiosa oratione declarabo.

Ut Respublica in integritate sua conservari queat; amantes sui Cives habeat; necesse est: amoris autem in Patriam teneritudo cum vi consilii jungi debet. Quod enim Castra valent absq; militibus Exercitus etiam validissimus absq; Ducibus & Moderatoribus, navis absq; remis & Gubernatore: hoc Respublica quælibet absq; amore sui in Civibus requisito, vel absq; rectis administratorum Reip: Consiliis.

Gaudebat Patria piis in se Civibûs atq; consiliô pollentibûs LUBOMIRIIS; hac ex Causa eos publi-

bli-

* Pruszcz in Descript Cracov: ** Okolski ex Werbscio Can: Chełm

blicæ, ſeu pacis, ſeu propagandorum Regni limitum, ſeu adjacentium Provinciarum luſtrationis adhibebat cognitioni * LUBOMIRIOS ſemper publicis Legationibus præficiebat ad Tribunalia Regni utraq; deputabat LUBOMIRIIS munera integritati communis boni deſtinata cōmēndabat. Patuit ſemper publicîs fungentiū muneribûs LUBOMIRIORUM in ferendis conſiliis prudentia, in agendo dexteritas in conficiendis negotiis celeritas, in conſervando Patriam amor, in defendendo robur, in promovendo communi bono, liberalitas, deniq; quid quid pro Patria geſſère LUBOMIRII omnia hæc laudabiliter pro Reipublicæ Conſervatione geſta fuêre. LUBOMIRIUS in congreſſu minoris Poloniæ á morte STEPHANI Regis centum Equites totidemq; Pedites ad defendendos limites ære proprio comparavit ** LUBOMIRIUS ad Byczynam contra MAXIMILIANUM AUSTRIACUM quingentos Heròes proprio ſumptu collectos adduxit: cum totidem militibus Filios ſuos ad Smolenſkum ad Moſchoviticam expeditionem in Livoniam ſubmiſit *** SIGISMUNDO quoq; III. inſignes ſuppetias porrexit LUBOMIRIUS Spiżium multis auri impenſis ab Hungaris redemptum Regno adjunxit. **** LUBOMIRIUS bona *Lednica* dicta, item *Swiercza* cum aperta ſalis fodina Reipublicæ theſauro ceſſit ***** LUBOMIRIUS omnia, quibus PRÆFECTUS fuit, Caſtra, inſigni ſumptu reparavit ****** LUBOMIRIUS attritis in Reipublicæ miniſterio viribûs, ſui locò in Supremum Exercitûs Jmperium Succeſſori KONIECPOLIO non parvas Copias ære ſuo comparatas ſubmittebat ******* LUBOMIRIUS ad Zborów, Bereſteczko; Zwaniec vitam & fortunam pro bono publico impendit: LUBOMIRIUS Conſilio-

E rum

* Conſt: 1590 Fol: 589: ** Conſt 1586 Fol 402. *** Geor Lub in Manifeſto fol. 7. **** Załuſki ſerm: fol: 86. ***** Conſt. 1607 fol: 850. ****** Starovol: in monum. ******* Nieſiecki lit L. fol 168.

rum & agendi dexteritate Tartaros a Cosacis dividi effecit * Verbo, LUBOMIRII munia sibi á Republica commendata, fortiter, prudenter, & feliciter obiverunt, omnia pro Patriæ & Boni communis conservatione cum laude gesserunt immortali.

Jam quantùm incommodorum, amore Patriæ toleravint LUBOMIRII, quas difficultates subierint, quantis se periculis devoverint: videamus.

Nullò magìs incommodorum congeries potest conglobari, quam inter belli tempestates, nullusq; tam fertilis periculorum est Campus quàm Martius: nempe incommodorum agmen, periculorum turba, numerosè cum Exercitu procedere solet. Quis enim viarum incommoda dierum æstus, àëris injurias, noctes inquietas, solìs ardores famisq; pressuras fortunæ damna, virium detrimenta, vitæ pericula, sortis adversæ vices belli metus ipsô pejores bellô, ad calculum revocaverit? ecquod enim infortunium est ecqua calamitas, ecquod exitium quod non ex bello nascatur? & si quem hæc afficiant mala primo cujusq; calamitatis ictui heroum Ductores exponuntur *Dux enim suo periculo progredi cogitat* ut Romanus Consul & Eloquentiæ censet Princeps ** Bello nati LUBOMIRII, quos Lucina Marti educandos tradidit ad tolerandum pro Patria incommoda, ad subeundum pro publici boni integritate pericula, alacres se obtulerunt.

Quám vero dulces fuêre LUBOMIRIIS hi labores amore Patriæ tolerati hæc pericula pro communi bono suscepta vel ex eo conijcere licet, quiá Viri aliàs omni eruditione præclari, quibus bene perspecta est illa Oratoris Sententia de Rege Ptolomæo dicta *Difficilis ratio bellandi & plena fidei, plena*

pie-

* Kochowski: Clim 3. l. 6. Niesiecki lit P. fol. 171.
** De leg 189.

pietatis pios ſe in Patriam Filios, fidelesq́; Patriæ Cives monſtrare voluerunt.

Heroum, ne dicam, belli Jmperatorum Procreatrix, Domus hæc, eos Patriæ prodidit heroicæ mentis Jnquilinos; qui in defenſionem Reipublicæ, fortunam vires, vitamq́; ipſam profunderent: Qui ita hoſtibus Reipublicæ arma inferebant, ut eos vel ex Regni viſceribus propulſarent, vel á limitibus arcerent, occupandis, quî nec ſuo nec illorum ſangvini, parcerent qui cum ſuo periculo cum majore hoſtium da miratione in adverſos cuneos involarent, donec cum Lechicæ incremento Gloriæ triumphos augerent, quibus pacem Reipublicæ, quietem paci, ſecuritatem quieti diuturnitatem redderent ſecuritati. Continebant in officio gentes efferas, ne in Regnum irrumperent; ſpargebant in hoſtes funera, ne malo Patriæ viverent.

Et quidem multos memoriæ prodiderunt Faſti immortales; nobis unum vel alterum ex millibus ponere ob oculos ſufficiat.

Nunquam ſine laude memorandus STANISLAUS nondum pænè matura ætate Heros ea pollebat bellandi arte, ac prudentia; ut poſt amiſſos Exercituum Ductores ad Cecoram Triumphis celeberrimo CAROLO CHODKIEVICIO utriusq́; Clavæ Moderatori ad primumq́; Chotimenſe Ductori, ad Belli conſilia, à Republica in Comitiis primus ſit deſtinatus Commiſſarius, Qui in conſiliis robur belli firmaret, ac feliciter expediret. CHODKIEUICIUS belli laboribûs fractus, comparavit quidem triumphos, bellum tamen non confecit, ac Gradivi laboribus eſt immortuus. Succeſſit Magno CAROLO non Minor STANISLAUS. Clavam & belli moderamen arripuit: at priùs illud bellum domeſti-

cum, cujus acies Patria, adversarii Cives, spolia Commune bonum pax interna pulsa triumphus est; erat compositurus; quàm hostem barbarum aggrederetur. Mordicitus nempe juxta suas leges obsistentibûs Lithvanis, ut exercitûs Ducem, suæ Virum Provinciæ haberent, Civiles & intestinæ obortæ sunt discordiæ; vicit diffidia tamen, scientiæ militaris in Duce authoritas; superavit dissensiones munificentia in Castris annonâ deficientibus, quia à Turca cinctis, aperta mensa discordes conjunxit. Sic amor quandoq; triumphat inter Cives; ubi internas odium pugnas excitat.

Hæc dum nostris in Castris componuntur feliciter; morte CHODKIEVICII animatus immanis Turcarum jmperator Osmanus, quod omnia cum Triumphatore CAROLO defecisse putaret;Copias innumerabiles collectas iterum nostris admovit Castris-insurrexit vehementius nostros vel numerô oppressurus. Sed quia bellici virtute non numero pugnant Viri; repressit strenuè impetum LUBOMIRIUS, demum aliquot pugnis felicius confectis Tyrannum de superbo statu dejectum, ut pacis inducias supplex exposceret, adegit Sicq; bellum Chotimense gloriose confecit. Barbarus etiam Tartarorum Dux Cantimirus, viscera Regni, ferrô scindere hostili cæpit; eum fortior de potentissimo, simulq; crudeli Osmano Triumphator STANISLAUS compressit, ingenti clade affecit, immortalemq; victoriæ Palmam reportavit.

Jìsdem triumphalibus Victoris Parentis processit passibûs Filius GEORGIUS LUBOMIRIUS (: Synopsim triumphorum induco quos volumina comprehendere non valerent :) Regni Caput JOANNEM CASIMIRUM Regem ab ictu hostili defendit;

fun-

Łancuti incolumem ab insidiis servavit: Svecos Cracoviæ circumsedit, afflixit, tandemq; profligavit. Transylvaniam igne & ferrô vastari fecit. Rakocii phalanges attrivit, eiq; pacis acceptandæ leges tulit. Torunium Svecos protegens, expugnavit, viq; obtinuit; Graudentum cum eisdem flammis absumpsit, Moschos ad Cudnovum delevit, ad *Słobodyszczany* incursibus insolentem Cosacorum Ducem Chmielnicciun, cum quaterdenis millibus hostium prostravit, pacta quoq; Olivensia heroicâ dexteritate clausit.

Triumphatorem multoties GEORGIUM gloriosa imitatione in se ipso repinxit ejusdem Natus HIERONYMUS AUGUSTINUS utriusq; clavæ Moderator præclarus: in Melita bellicæ artis gloriâ donatus illius in partis specimina victoriis præbuit; quando ad Viennam Presburgum Budam; ad nova propugnacula, Jaurinum Germanis Exercitibus Præducem egit ad, triumphos; tum in Valachia ad Kiliam quoq; ac ubivis locorum de Turcis Triumphator semper memorandus, victrices Palmas tulit. Fratrem suum pari laude sequutus ALEXANDER LUBOMIRIUS Castris Sandecensi & Pereaslaviensi Præfectus is in multis belli expeditionibus præsertim ad Chotimum Famæ immortalis cum JOANNE III. per triumphos comparatæ particeps redditus est.

Quot quot deniq; LUBOMIRIORUM Marti deditorum postera præsensq; deprædicat fama naturæ ad pugnandum promptitudine celebres erant; æquitatis, & prudentiæ, tarditate in bellis suscipiendis celebriores in susceptis semperq; cum triumpho confectis celeberrimi. Quo enim Martis calebant Entheô, Scipio contra Africanos, contra Carthaginenses Marcellus, contra Poenos Fabius, gloriosi de iisdem Triumphatores Romani: illo animati spiritu

STANISLAUS contra Machometanos, GEORGIUS contra Svecos & Moschos, Hungaros, HIERONYMVS & ALEXANDER contra Turcas Europæos, famā sibi perennē cōpararunt LUBOMIRII, Victores Poloni.

MAIORIBUS Maiores fortè evasissent, Posteri, si illis ad colligendam Gloriæ Jmmortalis messem Campus non defuisset. Non aderat illis ad Palmas triumphalis Campus, deerant bella ad victorias, non deerat LUBOMIRIIS spiritus bellandi, aderat & animus vincendi cupidissimus. Qui mallebant gloriosi pugnare pro victoria, cùm quiescere potuissent; quàm inglorii quiescere, absq; triumpho, si pugnare valuissent; quanquam vel inter pacis otia, in publicis pro Patriæ integritate negotiis cum Nominis Gloria nunquam peritura non destiterunt laborare.

Cum itaq; LUBOMIRII communis boni causâ, magna in Republica posuerint rectefacta; cum perpetua publicæ integritatis amore tolerarint incommoda, cum infinita pro Patriæ conservatione subierint pericula; Pios se in Patriam Cives non probarunt? Probarunt utiq; & amorem in Rempublicam vix æquandum quovis tempore, quovis loco, quovis negotio & munere omnes & singuli remonstrârunt. Jtaq; LUBOMIRIOS pietate in Patriam ceu amantes Filios excelluisse quis negaverit?

Quod veró rara in DEUM quoq; & Superos pietate præstiterint? (: ut satis declaratum est :) Domum hanc in Numen ter Optimum, in Cæli Dominam & orbis Universi Matrem in Divos etiam pietate singulari, Patriæ pariter ac communis boni amore florentissimam fuisse nullus inficias iverit.

Jam quia meritorum in Ecclesiam, & Rempublicam magnitudo pietate in Deum & Patriam ostenditur: Domum LUBOMIRSCIANAM meritorum in

Rem-

Rempublicam & Religionem amplitudine plurimùm excellere nemo diſſentiat. Nominis quoq; LUBOMIRIANI Majeſtas primos Reipublicæ honores ipſum atq; Regnum, famâ implet immortalì: imò, quia gratæ ipſius meritis Reipublicæ finibus nequibat contineri; & Sacri Romani Jmperii Principibus titulìs eſt decorata; rectè concludas PRINCIPEM ANTONIUM dignitate á Majoribus derivata, Nominis & Meritorum amplitudine honorum ornamentìs celſiorem eminere.

Ut enim merita quæq; virtutis ſunt effecta, virtus honori præſtat; honor autem virtuti famulatur: virtute eminere, eſt honoris apices ſuperare: qui igitur PRINCEPS ANTONIUS virtute priùs ac dignitate præſtitit, quam Ei honor conferretur, & qui primò Princeps, honorem Lublinenſis adornat PALATINI; potiùs exornat honorem, quàm honore exornatur: atq; qui honorem exornat, magis ipſe donum eſt honori, quàm illi honor: Nihil á vero deviavimus, ubi honorem PALATINUM PRINCIPE ANTONIO donatum oſtendimus:

Et iſtud primum erat CELSISSIMO PALATINO feſtivæ Gratulationis argumentum: nunc alterius confirmandi ſuccedit labor Oratori, quo honorem optimè PRINCIPI ſociatum gratuletur.

PRINCEPS
HONORI Optimè SOCIATUS

UT donatus Principe Honor optimè Principi ſociatur, cui debetur; ita Princeps jungitur honori glorioſé; ſuper quem jus habet, & quandam eundem hæreditandi rationem.

Solis assecla optimè Splendoris conjunctione cum primo Cæli ornamento siderum Principem comitatur, Luna; quia amborum natura mutuis utrumq; alteri fulgoribus exposcit commodare. Et quidem quò propiore junguntur sibi accessu; eò majore lucis communicatione, illustriores fiunt: at ut dierum nocliumq; vicissitudines orbi terrarum perutiles efficiant; solem diei præesse, Lunam noctis tenebris prælucere, amboq; Sidera communi prodesse utilitati Supremus naturæ Sator demandavit. Eximiè aurato pretiosa jungitur gemma annulo; quia valorem utriusq; ad festivos referri apparatus Natura jussit Auro nempè insertus lapillus conchylio pretium facit; annulus vicissim carum adamantis valorem ditat. Cum laude, victoris Tituli ac Jnsignia, triumphales Coronæ, triumphanti de hoste sociantur Heroi; ampla hæredi bona, fertilesq; adjunguntur coloniæ; quòd huic naturali jure, illi justitiæ lege, velut virtuti suæ, meritorum præmia debeantur.

Jn rerum videlicet existimationi subjectarum ordine, optimè rem unam alteri sociari vel ipsa rerum natura probat; vel cum unam alii, aut hanc vicissim primæ, seu etiam utramq; sibi deberi modus justitiæ præscribit. * Jam quia Oratore teste: *Societas interior vel propior eorum quæ ejusdem generis sunt:* Ea proximè & perquam benè sibi conjunguntur; quæ in eodem existimationis genere sibimet consentiunt.

Non impari ratione Tibi Principi sociatur Honor Celsissime Palatine, nisi quia Tibimet naturæ legibus, & virtutis jure debetur. Et cum Nomenclatorum sensu, *jungo* idem ac *in unum ago*, sonet: jure Tibi honor, Tuq; jungeris honori; namq; Honor & Lubomirius unum agere videntur. Cum enim

Prin-

* de Offic:

Princeps Honori donatus, super Honorem eminere censearis; Honor es honori, Celsissime Princeps idemq; est, Nomen Principis Lubomirii proferre, quòd Honorem Nomine se ipso majore nuncupare: & vel idem erit; unum Lubomirio ac Honori genus habere; vel supremos honores ex Nomine Domoq; Lubomiria nasci, & primam originem derivare; non secùs ac a Phæbo siderum Principe lux & splendor omnis, principium sumit.

Namq; si naturam & finem cuicunq; demum honori præstitutum profundiùs volvamus in animo; nemo in eam non abibit sententiam, rectè Principem Honori, optimè Honorem Principi sociari.

Rem penitiùs scrutemur oportet: Politicorum Antesignano Lipsio declarante. * *Honor est Titulus supra cæteros, lege concessus* Oratoris quoq; testimonio: *Honor est præmium virtutis, judiciô studiôq; Civium delatus ad aliquem.* Honoris natura, eundem nostro Principi optimè sociare non inferat? Lublinensis munus Palatini, ejus Titulus supra cæteros naturæ virtutisq; lege Tibi non concedatur? Senatorii fasces Augusti Regis authoritate, Civium Regni judiciô velut virtutis præmium Tibi non deferantur?

Virtutis tuæ mentionem facio Princeps Celsissime? immensus de tuis dicendi laudibus campus sese aperit Oratori. Fateor equidem Nominis Tui magnitudine, præclari Generis Nobilitate, tuis celebrandis encomiis penè infinitam pandi viam: hæc nimirum primum est laudandi fundamentum.

* *Nobilitas cunctis exordia pandit, laudibus atq; omnes redeunt in semina causæ.* Ut enim arbor quæ ex semine existit, seminis vim & naturam referre solet; sic laudis semina à laudatis innascuntur Parentibus, & vitæ

* Cic. de clar: Orat:

dignitas ad filios dimanat. Hinc Eumenius laudum Constantini Orator (quas Principi quoq; Nostro convenire clarum est,) eundem solâ nobilitate in imperium ascendisse contendit. *Tanta est Nobilitas originis tuæ ut nihil Tibi addiderit honoris imperium, ne possit fortuna Numini Tuo imputare, quod tuum est, omisso habitu & suffragatione; non fortuita hominum consensio, non repentinus aliquis favoris eventus Te Principem fecit, imperium nascendo meruisti.* Verum tamen cum virtus sola præcipuum rebus decus conferat & ornamentum: *omnis quippe res* (ait Annæus) *quod habuit decus, a virtute sumpsit; & qui virtutem habet, omnia bona creditur habere.* amplior laudum seges, a virtute quam ab aliis quibuscunq; laudi subjectis crescit bonis. In eandem abiit sententiam Eloquentiæ Institutor Quintilianus: * *Nonne Is generosissimus optimus* (inquit) *non claritate nascendi, sed qui virtute maximè excellit.* Non alio veræ laudis tramite procedis Celsissime Palatine, qui æquè generis claritudinem ac Nominis dignitatem virtutis splendoribus conjunxisti. Abierê a Nobis Primores Tui, sed non toti recessêre; ubi meliorem sui partem, Te clarum Nepotem, Te Filium Majoribus Majorem reliquerunt: magnum Te reddidit Generis amplitudo, magnum Princeps Nominis Majestas; virtutis magnitudo majorem Te effecit. Ergo in Oceanum Gloriæ vela pandimus; non Cæsaris fortunam sed Principis virtutem in altum provecturi; ceu ratis per immensum mare Nostra feretur Oratio.

In recta bonorum animi collocatione, ac virtutum serie, primas deberi Prudentiæ nullus dubito. Quis namq; primam virtutum dissentiat prudentiam, cum hæc reliquis virtutibus veluti Dux ac Imperatrix dominetur? Ab ea virtutum omnium pendent studia, illius ductu, arbitrioq; exercentur; hæc dissipatū animi statū

col-

* Lib: 5. c. 11.

colligit, mentem componit inquietā, frœnō concupiſcentias & inferiores animi motiones coërcet; rationis Imperium reſtaurat, laude dignas efficit actiones.

Ab hac virtututum Principe Noſtri Principis cariſſima laus initium ducit. Illâ videlicet prudentiâ ſuperi Te præditum voluêre; qua cuncta videas, quæ præterierunt, omnibus proſpicias quæ ventura ſunt; & quæ præſentia cernimus, cum laude perficias univerſa. Neq; ſolitaria tecum procedit hæc reliquarum virtutū Imperatrix; ei pulchro ſociantur ordine aliæ quoq; virtutes, Prudentiæ comites indiviſæ. Sequuntur ducem, *rerum cogitatio præteritarum*, *intelligentia præſentium* hæc ad rectæ regulam Rationis omnia confirmat, illa recte factorum mentione, quæ Primores Tui in Republica cum Memoria poſuerunt Immortali, gerenda regulatur. Offert ſe in Gloriæ comitatum *ſolertia* ſingularis quæ ingenium ad aperienda latentium rerum arcana dirigit, *Domina omnium & Regina Ratio* cernere ſequentia, principia & rerum cauſas, videre, eorum progreſſus non ignorare, rebuſq; præſentibus annectere futura, ex his recte omnia concludere demandat. *Circumſpectio* accuratè ad circumſtantias rei, de qua agitur, attendere docet. *Cautio* deniq;,ea quæ rei adverſari & officere cenſentur, avertit impedimenta. Tanto Regnatricis Prudentiæ ſtipatus comitatu maximorum haud ſuſtineas negotiorum molem? maximas in eis conficiendis difficultates non ſuperes? adverſantes infauſtæ ſortis tempeſtates non vincas? Qui Tibi hac in parte derogare præſumerent, invidi forent, vel virtutis tuæ neſcii, vel *ignari quid virtus valeat; quæ in tempeſtate quieta eſt, & lucet in tenebris ſplendetq; per ſeſe ſemper nec alienis unquam ſordibus obſoleſcit.* * Hæc tuæ profecto Prudentiæ fama, Principes in Regno Familias invitavit,

 ut

* Cic: pro Sertio.

ut tuam ſuis obligarent poſtulatis clientelam; ſuis, iiſq; operoſis Te præeſſe negotiis rogarent, totam difficultatis molem tuis perquam validis humeris imponerent. Multa magnæ in Regno Domus, onera Tibi imponi expoſcebant; quia plura Te ferre poſſe cognoverunt. Tua nempè in agendo dexteritate ſuffultæ, optimè quoq; ardua confectum iri a Te negotia exiſtimarunt: qui res turbulentas componere, difformes complanare, colligere diſperſas, convulſas adunare irrequieto labore, nôſti; illæ tuam in penetrandis rebus abditis ſolertiam, in idoneorum ad finem conſequendum mediorum diſpoſitione providentiam, circumſpèctam ad omnia attentionem, in conficiendis negotiis efficaciam, in omnibus indefeſſis laboribus conatum ſunt expertæ. De Te veriùs illud Encomium dicam quod de Principe Romanorum Conſtantino Pacatus perorat. * *Gaudent profectò Divina perpetuo motu & jugi agitatione ſe vegetat æternitas: & quidquid hominis vocamus laborem, veſtra natura eſt; ut indefeſſa vertigo Cælum rotat, ut maria æſtibus inquieta ſunt, & ſtare ſol neſcit, ità Tu* Princeps *continuatìs negotiîs, & in ſe quodam Orbe redeuntibus ſemper exercitus es.* Omnis ſcilicet Gloria quam alii cunctis vitæ laboribus promereri conati ſunt, tuæ in agendo indefeſſæ virtutis præmium non adæquabit. Ut enim *virtutis laus omnis in actione conſiſtit*; ** ſic indefeſſa tua in labore corporis, & in animi contentione pro communi bono ſtudia, quæ non interruptis trahuntur temporibus; infinitam Gloriæ coronam merebuntur.

Ad hanc Prudentiæ in agendo commendationem accedit altera quæ ex ſapientibus dictis ac ſermonibus Famam Tibi conciliat immortalem. Cum enim Oratio, mentis & animi interpres ſit, extra dubium eſt, quod ſermo ſapiens non aliundè quam ab animo ſapi-

entiâ

* Latino Pacatus in Panegirico Conſtantini. ** Cic. de Offic.

entiâ prædito proficiſci queat. Quid autem a Te accipiunt Concives Tui, quod animum in Te ſapientiâ plenum reſidere non probet? Cunctarum Gubernatrix virtutum Prudentia, tua in mente ſedem fixit, illa per Te, dum loqueris, verba depromit; illa tua per effata pandit oracula; ſeu Tibi cum Patriæ Civibus de Rebus Politicis Oratio eſt, ſeu de ſtatu Reipublicæ, vel de aurea Polonorum libertate confers, ſermonem; ipſam per Te verba facere ſapientiam credere eſt neceſſe. Neq; ſolam illam in Te conſidere tua oſtendit Eloquentia; quam ipſam copioſè loquentem ſapientiam ab Eloquentiſſimo Proconſule Romano didicimus; aſt reliquarum agmen virtutum, ſuæ in comitatum adjungi Imperatrici compertum eſt. Teſtem horum Oratorem audiamus: * *qui eſſet Eloquens, Eum virtutes omnes habere, atq; eſſe ſapientem* Neq; hac in re admiratione duci quenquam oportet; ſicut nimirum rationem moderari ſapientiæ proprium eſt; ità virtutem animo eſſe inquilinam rationiq; conformari non eſt alienum: *virtus* namq; *eſt animi habitus naturæ modô, rationi conſentaneus.* ** Et ſi omnigenæ virtutis Gubernatricem ſapientiam agnoſcimus illam virtutum quoq; Procreatricem non diſſentimus. An enim non infæcunda hæc permanentium in animo bonarum affectionum mater, habitus animi naturæ rationali conſentaneos ad bona nunquam peritura ducentes non progeneret? an copioſè loquens ſapientia ad prudentiæ leges omnia non exigat? an omne virtutis genus, quod *ſive in perſpiciendo, quid in una quaq; re verum ſit*, verſetur; *ſive turbatos animi motus cohibeat*? non procreet? veram itaq; Eloquentiam, veluti copioſè loquentem ſapientiam, cæteras procreare virtutes minimè ambiguum eſt. Quæ cum in Te domicilium poſuerit, progenitæ ab ea re-

 ctæ

* Cic: de Orat: ** Tuſc: quæſt:

ctæ rationis dotes simul in Te non permanere haud poterant. Humanarum Regnatricem Mentium Eloquentiam suis dominari animis senserunt auditores Liberæ Poloniæ Filii quoties Te tùm ad comitia Generalia Legatum Publicum tum in congressibus Publicis Oratorem fortiter verba facientem acceperunt. Etenim dicturus in Publico sic inventionem non infæcundam hominum sensibus accomodasti, sic inventa prudenti dispositione collocasti, sic oratoriam ratiocinationem instituisti, sic argumenta venustâ simulq; gravi Elocutione adornâsti, verborum apparatu sententiarumq; pondere decorâsti, sic scripta pronuntiatione elegante perorâsti, ut omni numero absoluta oratione, oris gratiâ, gestuum gravitate, facilè proposita persvadere, audientes ad assensum impellere, deniq; in animis hominum regnare dicereris. Ausonii verbis complectar Tuam Eloquendi facultatem * *Quis aut consultiùs cogitata dispofuit, aut dispofita maturiùs expedivit? Deinde quis tenor vocis cum incitata pronuntias? quæ inflexio cum remissa? quæ temperatio cum utrumq; dispensas? Quis Oratorum, læta jucundiùs, facunda cultiùs, pugnantia densiùs, aut densata glomeratiùs, dixit? Vellem (si rerum Natura pateretur) Xenophon Attice in Nostrum ævum venires, Tu qui ad Cyri virtutes exequendas, votum potiùs quam historiam commodâsti; cum diceres, non qualis esset, sed qualis esse deberet. Si nunc in tempora ita procederes, in Nostro* ANTONIO *cerneres quod in Cyro Tuo non videbas, sed optabas.*

Maximâ summorum industriâ Oratorum opus est, ut siquidem dolorem ex alienis præsertim malis imprimunt, miserationem concitent, ità intimos sensus mentesq; affectuum vi penetrent; ut lacrymas quoq; eliciant. Grandis est, & fortis æquè ac felicis Eloquentiæ is effectus, ut non immeritò lacrymæ Oratorum laudes

Ora-

Oratoris nominentur. Fruſtrà ſudant multi; cum tamen ſe magis deridendos in ſua flebili Nænia præbeant, quam ullos fletus exprimant. Id Tu non difficulter obtinuiſti Polone Tulli; ubi in laudibus Eorum, qui etiam mortui vivunt in perenni gratæ poſteritatis memoria ſuperſtites, tam fletibus idonea arte dicendi Epicedia conformaſti; ut etiam graves viri ad lacrymas omnino difficiles, a fletu ſibi temperare non potuerint. Hæc Eloquentiæ Tuæ laus multorum excedens Gloriam Oratorum; hoc copiosè loquentis tuæ encomium ſapientiæ, hæc cæterarum virtutum Imperatricis Prudentiæ fama. Jam ad juſtitiam cultu proſequendam Oratori tranſire liceat.

Juſtitiæ laudem optimè definit Fidei Magiſter, Sacerq; Orator Cyprianus * *eſt pax populorum, tutamen Patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura langvorum, gaudium hominum, temperies aëris ſerenitas maris, terræ fæcunditas, ſolatium pauperum.* Hæc tuæ virtuti debentur encomia Princeps Celſiſſime; qui tueri Patriam, gentem munire, populi unionem curare, plebem fovere, infirmis mederi, mæſtis gaudia ferre, pauperibus ſubvenire, virtutis unicuiq; ſuum tribuentis jure, ſtatuiſti. Hanc ut ex integro tuis in rectè factis remonſtrares; omnes illius numeros adimplere voluiſti.

Prima Juſtitiæ pars, primumq; hac in virtute laudationis tui caput: Religio eſt: qua Juſtitiam ergà DEUM, veluti vim quandam menti Tuæ inſitam, quæ timore Divino & ſacrorum ceremoniis hominem regit, in animo tenes, & religioſe colis. Primam hanc Juſtitiæ ſpeciem ut tantò religioſiùs proſequereris; in Religioſorum ædibus velut Religionis domicilio, Tibi habitatio frequens, cum Sacramento firmatis DEI Servis, familiaris erat conſvetudo. Ibi quia Religionis mu-

* Lib: 2. de abu:

munus alterum exequi, DEI scilicet cognitionem cum tuimet ipsius notitia, Tuo in animo tantò altiùs radices figere votum erat; piam, ut Exercitiis excoleres spiritualibus mentem, salutariter laborâsti. Quorum usus, eum Tibi Divinis in rebus Pietatis sensum, eam in augustissimis Sacrorum Ceremoniis frequentandis modestiam, in usurpandis cultum, commendandis ardorem atq; industriam ingeneravit; ut omnes Religionis Divinæ numeros adimpleres. DEI cognitio Sacris meditationibus comparata veri Numinis cultum, cultus Numinis, locorum DEO dicatorum reverentiam, Templorum reverentia, profundam Divinorum Mysteriorum venerationem, Mysteriorum DEI veneratio fidei Sanctæ amorem fidei amor procreavit teneram in Sanctam Matrem Ecclesiam Pietatem. Ex hac verò fertili virtutum gleba quod & quanti Ecclesiæ fructus prodierunt? quis propagandæ Religionis ardor? quod jurium Ecclesiasticorum tutamen? quæ Status Spiritualis defensio? quæ in Domos DEI & Sacras Familias munificentia? Nimirum toto in devotionem ferri corde, a Sacrosanctis Missæ Saficiis frequentandis, etiam negotiorum tumultu non avocari, Divorum solemnitatibus Conciones celebrare, diebus singulis ponere cum sua conscientia rationem, & de factis dictisq; suis in judicium venire; homines vitæ Instituto moribusq; Religiosos in oculis sinuq; fovere, haud interruptâ consvetudine Tibi receptum est.

Prevorscensis Parochia (quæ Sanctè tuæ subest hæreditati) jura, rerum vicissitudine, temporumq; injuriâ é memoria deleta, & ferè cineribus insepulta fuere: Hæc Religionis amore ex oblivionis pulvere eruta, resuscitata in suo vigore permanere fecisti,

Spiri-

Spiritualis Statûs integritatem conditæ livore linguæ lacerare non verebantur, Ecclesiastica exactionibus bona onerare contendebat miles; malevolentiæ & livori fræna, stipendiis minimè justis obicem posueras Religionis Tutor Sacerrimus.

Penates Religiosi, Sacrarum Familiarum Domus, vel annonæ defectu, vel Sacri apparatûs indigentia premebantur; hanc liberalibus gratiis sublevâsti, toties Religiosarum Ædium Largitor providentissimus. Loquantur Tua beneficia, quotquot sunt sacræ Divi Francisci Familiæ: quæ Te Prodigium Gratiarum velut sibi inquilinum & tanquam suum ANTONIUM gratiis clarum Principem venerantur

Deprædicent dona, sepulchri Dominici Custodes Religiosissimi; in quos profusissimus beneficiorum collator existis. Sic decuit Principem, ut qui a DEO omnium bonorum Fonte cuncta participavit bona, gratus Datori Ter Optimo Maximo commune & divisum cum Terrenorum Principum Domino ærarium haberet. Persvasum Tibi habebas cum illo largo in DEUM Rege Theodorico; quod bonorum Largitorem DEUM non aliter Princeps remunerari potest; quam si DEI servos datis desuper muneribus prosequatur. Sic ille apud Cassidorum: * *Tanto Divinitati plurima debemus, quanto à cæteris mortalibus majora suscepimus. Nam quid simile rependat DEO, qui potitur imperio? sed licèt pro tanto munere nihil compensari possit idoneè; ipsi tamen gratia redditur, dum in ei servientibus honoratur.* O vocem immortalitate dignam! vocem in Cælo natam! a Cælo missam!

Alteram ex Justitia prognatam virtutem ut in Te perpaucis celebret Orator, concede Princeps Celsissime. Locum in rebus humanis non postremum,

 quin

* Cassiodorus l. 8. Ep. 24. de Theodorico.

quin primum Judicio sapientûm Pietas obtinet. * *Hæc* (Græcorum eruditissimo Sinesio teste) *basis firma est, cui Imperii & vitæ privatæ simulacrum insistit.* Magni, quos virtus aut Natura cæteris præesse fecit, viri; repingant in se vitam Principe dignam; veram expressamq; Principum imaginem effingant virtutes; Caput & frontem Prudentia, animum Fortitudo, pectus Justitia, corpus reliquum temperantia efformet; illustre fiet Principis simulacrum: summorum imitationi Virorum aut non proponetur idea, aut firma non stabit diu, nisi suæ basi insistat Pietati. Pietas ea præsertim quæ a viris Principibus Patriæ debetur, dignos Principes, amantesq; Patriæ Patres efformat. Pietas gratas efficit in Patriam Principum voluntates. Pietas *communem omnium Nostrum Parentem*, quam ** *Antiquissimam & Sanctissimam* haberi Consul Romanus præcipit, Patriam videlicet, tuetur.

Hanc virtutis laudem Tibi deberi censet Polonia Magne Palatine: verum im Te laudati Principis prototypum repingunt virtutes tuæ; vitæ privatæ speciem in Cive Reipublicæ nobilissimo, publicæ, exemplar in eximio Senatore, vivis exprimunt coloribus. Nec tamen satis Tibi est eminentis in Regno Viri referre ideam; pietati hanc velut basi excelsæ infundasti; ut commodiùs luci pateret publicæ, & Principum imitationi faciliùs prodesset. Tuam in DEUM & Ecclesiam pietatem toties comprobâsti; quoties Te Jurium Ecclesiæ Tutorem, Statûs Spiritualis defensorem Sacrarum ædium benefactorem munificentissimum remonstrâsti. Pietas quoq; in Patriam innumeris sese prodebat documentis: quotquot enim caræ amore Patriæ subiisti pericula, quotquot pro Republica, Principis fortunæ passus es dispendia; quotquot pro Patria labo-

* Libr: ad Imper: Arcad. ** Ad Atticum.

labores, vires etiam atterendo superâsti; quotquot publica munia, vel vitam Patriæ integritati consecrando, absolvisti; illa omnia Te pium in hanc Matrem Sacerrimam Filium exhibuerunt.

In Parentes verò, qui proximum à Patria Pietatis gradum jure sibi vendicant quæ tua Pietas? quæ Tibi minorenni, à morte Illustrissimi JOSEPHI LUBOMIRSKI Palatini Czerniechoviensis sollicitis pro boni cõmunis integritate curis immortui in memoria gratæ Patriæ nunquam morituri per ætatem justa persolvere non licuit; hæc annuis fatorum memorabilium sanctis recordationibus pius in Patrem compensas Filius. Immortalì pariter memoriâ dignæ ex Principe in Regno, celebri & per Europam *Mniszchorum* Familia ortæ, pias exuvias Pius quoq; in Matrem Natus, sepulchrali pro Nominis dignitate apparatu coluisti: Quod tanto majore cum laude perfecisti, quia emancipatus licèt Filius, justis tamen piè vitâ functæ Parenti Tuæ persolvendis, pietatis in Parentes Legibus Te adstrictum voluisti. Testes erant pii in Matrem animi munimentorum virtutis Tuæ in Templo Prevorscensi spectatores, sacri doloris Socii Poloniæ Proceres; adstabant pii luctus theatro in medio Sacrarum Ædium erecto Publici Regni administri; lenibant justos mærores Terrarum Præfecti, complebant funebrem pompam Palatinatuum muneribus insignes Viri; assistebat solemni Sarcophago conferta ex Magna Russiæ Provincia, & toto fermè Regno confluens Nobilitas; omnes, ut in mæstum funere Materno Filium minus sæviret dolor, eum in se, & quæ condolebant corda, dividere volebant. Votisne communibus amicorum satisfactum est? neutiquam minuerunt dolores Parentales imo auxerunt luctus. Nam cum pius inter pa-

I2 ren-

rentandum Filius etiam laudum perennium mortuæ Parentis ageres Oratorem, eo pietatis sensu ad confertam hospitum coronam verba fecisti, ut vel saxea ad piè condolendum corda flexisse videreris. Hinc multi Eloquentiæ vi adacti, parentales easq; largè profusas, cohibere lacrymas nequiverunt; haud ullus à luctu sensibili sibi temperare valuit. O admirandam Nati erga Matrem pietatem! o rarum Eloquentiæ in animos Auditoris & lacrymas dominium.

Sed neq; hic pietatis laudandæ finem ponit Orator; longè protensos virtus hæc laudis suæ habet terminos. Aliud genus Encomiorum præbet gratia Officiorum bonorum; quam probi virtutum explanatores ad Pietatis partes referre censuerunt. Rectè, qui omnia optimi Oratoris atq; Politici officia implevit, Tullius asserit: * *In officio colendo sita honestas omnis & in negligendo turpitudo* monetq; ulterius: *Honestas omni pondere gravior est habenda quam cætera omnia.* Humanitatis itaq; Officia colere; est honestatis laude super reliqua omnia quæ laudis rationem habere possunt, eminere.

Tuum istud Elogium est Princeps Celsissime; quod enim Officium reperiri potest quod non impleveris? Majores (si quos haberes) condigna prosequi veneratione, æquales humanitate demereri, inferiores affabiliter accipere, non in consvetudinem modo sed fermè in Naturam Tibi abiisse videtur. Tanta namq; Tibi charitas in omnes, tanta in majores reverentia amori juncta, tanta in pares affabilitas & benevolentia, tanta ad impares demissio, ut difficillima consensione innatam Principibus gravitatem cum ea quæ Tibi inest humanitate conjungeres; & Orbem Poloniæ in tantæ admirationem virtutis rapere censearis. Deniq; præstitit hoc innata Tibi affabilitas, ut cum altero

Apo-

* Lib: de Offic:

Apoſtolorum Principe omnibus omnia factus eſſes; cum Cive Civem Te reddidit familiaris humanitas, equitem Te cum equite junxit magnanimitatis ſimilitudo & fraterna familiaritas; Dignitas, Majeſtas, & conſilii Authoritas, Senatorem Te reddidit Senatori. Tuarum itaq; partium, omnis laus illa cenſeri debet; quam omnes & ſinguli Reipublicæ Status propriis virtutibus poſſunt promereri. Et quoniam * *ſumma ac perfecta gloria conſtat ex tribus his: ſi diligit multitudo, ſi fidem habet, ſi cum admiratione quadam, honore Nos dignos putat:* Summos Gloriæ apices Te attingere neceſſe eſt, qui corda liberæ multitudinis poſſediſti, fidem ubiq; obtines indubiam, cum omnium ordinum & Populi admiratione omni honore dignus adoraris. Quid enim illi in comitiis Palatinatuum, ſeu in Publicis Regni congreſſibus, virorum Nobilium comitatus ſignant? quid indicant in probandis Tuis ſententiis feſtivæ liberi Populi acclamationes? quid illi cum plauſu & abſq; contradicentium vocibus coram Gente Nobiliſſima æquè ac liberrima habiti ſermones præſeferunt? in multitudine amor Tui ſincerus, fides intaminata, apud cunctos obtenta exiſtimatio Dignitatem nunquam ſatis mirari faciens, dictorum plauſuum ſunt effecta: quæ ſummam Te Gloriam ex triplici illo capitè conſecutum probant. Qua autem induſtria Univerſæ Nobilitatis animos Tibi deviciſti; eandem cum mentium humanarum Triumphatore Tullio ſentio cauſam. ** *Difficile dictu eſt, quantoperè conciliet animos hominum, comitas affabilitasq; ſermonis,* Accedit & illud quod in amicis demerendis liberalem Te officia perſolvendo præſtitiſti: cum enim menſam, atq; ærarium ipſum, indigentibus apertum velles; aperta quoq; in referendis Tibi gratiis cunctorum corda effeciſti. Ratus namq; Juſti atq;

K Pii

* Cic: de Offic: ** Lib: de Offic:

Pii Principis munus esse, ut æqualitatem vel inter impares aliquam remonstraret, nè potentior inferiori prævaleret, quod minorum tenuis desiderabat fortuna, è Tua Princeps pius magnitudine es impertitus, Sic Justi Principis (cui cordi est omnibus passim adesse) partes, in Te suscipere non prætermiseras; dum horum præcipuè inopiam sublevabas, quos sibi ipsis defuisse, & quibus alios obesse nosti. Supremum rerum Dominum in hoc imitari statueras; qui potentes æquè ac tenues pari moderaminis conditione regit; quando illorum arrogantiam premit, horum tenuitatem extollit. Eadem cum Rege Theodorico mente de Te absq; ambitionis fuco dicere potes. * *Cordi Nobis est cunctos in commune protegere, sed Eos maxime quos sibi novimus defuisse. Sic enim æquitatis libra servabitur, si auxilium largiamur imparibus; & metum Nostri, pro parvulis, insolentibus opponamus.* Nec authoritate tantùm, sed & auri subsidio, ut dixi sivè indigentium tenuitati subvenire consvevisti, sive conficiendis amicorum negotiis, officiisq; vel cum ærarii magno etiam dispendio, non deesse laborâsti. Atq; ideo Traiani laus Tua verius est. ** *Nihil magis tuum credis quam quod per amicos habes*; qui vel tuos thesauros cum amicis communes habere voluisti; vel cum illo Orbis Domitore Alexandro tuas opes in amicis positas esse ostendisti. Multi fluxarum amatores opum non Fortunæ Domini sunt, sed sibi fortunam dominari patiuntur. Tu, ut auri non duceris amore; ita non a fortuna regeris, sed verus rerum Dominator Fortunam regis. Quam quia officiorum bonorum gratiâ dispensas; liberalius Pium Te in omnes & Justum Principem declaras.

Ex hoc magnanimo fortunæ dominio, rerumq; infra te positarum contemptu, quæ Tui celsitas animi elucescit?

* Cassiod: Lib: 8. Ep: 8. ** Plin: Paneg:

cescit? quæ cum ex nobilissima cardinalium virtute *fortitudine* gignitur, hujusce quoq; virtutis Gloriam Tibi promeretur.

Animi magnitudo a honestarum & sublimium appetitu rerum, à famæ nunquàm perituræ & Gloriæ immortalis cupiditate, laudibûs efferri solet: quâ animi magnitudine qui præditus est, nihil non magnum molitur; honesti desideriô, infra se posita, facilè contemnit. Nam qui altius menti infigit * *hominem natum ad nihil esse aliud quàm Honestatem: ipsam, suo splendore in se animos ducere*; is honestatis pretio, reliqua omnia quæ humi sita sunt, homine inferiora ducit.

Mentis Celsitudine in altum provectus Polybius inquit: *argentum esse communem hominum possessionem*; *at honestum & ex eo laudem Deorum esse, aut eorum qui diis proximi censentur*: Sic magnanimitas ultra hominum sortem honestos Viros evehere solet.

Hanc animi fortitudinem miratur in Trajano Plinius: *Non verò laudaverim magnopere duritiem corporis ac lacertorum: sed si is validior toto corpore animus imperitet, quem non fortunæ indulgentia non copiæ principales ad segnitiem detorqueant. Tunc ego, seu montibûs, seu marî exerceatur, & lætum opere Corpus, & crescentia laboribus membra mirabor.*

Tuæ hæc encomia debentur fortitudini magnanime Princeps; qui divitiarum contemptu, honestatis pretio & amore, communem hominum sortem superâsse existimaris. Corpore fortem, animô te validiorem oportet: cujus mentis robur non fortunæ indulgentia emollivit; non auri copia ad otium depressit. Cum gaudio exercitum vigiliis corpus, Terris videtur admirandum; supercrescentia laboribus membra stupent Provinciæ, tanguntur ad-

* Cic: Lib: acad quæst:

miratione Cives, majorem periculis animum miratur orbis Polonus: Tu ipse virtutis laude mirabili Regnum imples.

Quis etenim animi tui fortitudinem non miretur? quòd namquè in maxima negotiorum mole, quam tuæ dexteritati commendant plerumque Principes Familiæ, non fatigeris; quòd summis, ardua complanando, difficultatibus non frangaris; quòd periculorum metu non movearis; in admiratione non sit? id immensum gloriæ cumulum, tuæ virtutis præmium non augeat? * *Scilicet ex omnibus præmiis virtutis si esset habenda ratio præmiorum, amplissimum esse gloriam: esse hanc unam, quæ brevitatem vitæ posteritatis memoriâ consolaretur: quæ efficeret, ut absentes adessemus, mortui viveremus; hanc esse deniquè, cujus gradibus etiam homines in Cælum conscenderent.* Quodsi aliquis hanc virtutis mercedem (dicere non audeo) respuat, (dico) non quærat: Orbis admirationem superare non censendus?

Traxisti in admirationem omnes virtutis magnitudine; ejusdem præmii neglectu, Orbis admirationem devicisti: Ubi licet ad gloriã immortalem omnia egisses; non tamen Gloriã Rectefactis quæsieris. Tuis laudibus,illustriq; Virtuti tribuendum, quod de Catone dictum: ** *Homo virtuti simillimus, & per omnia ingenio Diis quàm hominibus propior. Qui nunquam rectè fecit, ut facere videretur sed quia aliter facere non poterat.* Nempe esse, quam videri bonus malebas; & in quo minus gloriam petebas, eò magis eandem assequebaris. Tantò magis attollebat se tui celsitudo animi; quantò vehementiùs ad incutiendum timorem malorum insurgebant tempestates. Fortitudo terroris nescia, imminentia contemnebat pericula; intrepida mente in-

* Cic: pro Mil: ** Vellejus Patercul.

instantia excipiebat: metum, qui suum sub jugum, animi libertatem mittere solet, frangebat, in auram dispergebat. Et quia fortitudinem patientia decet, ac exornat: nullo casu, nullis rebûs adversîs, nullis injuriîs moveri, ab illa didicisti: Et quod non penuriâ vel aliqua coactus necessitate ultrò adversa subieris, atq; cum se ab illis tam facilè expedire, quàm illa fortiter ferre posses; ea tamen patienter toleraveris: longè insigniorem patientis fortitudinis laudem es consecutus. Magnanimum te natura produxit, quæ a Majoribus tuis haustam, tuo virtutem infudit animo; at scientia rei militaris, Te Fortitudinis usum ac Magnanimitatis exhibendæ modum edocuit. Ut triumphales inter Martis certamina legere laureas didicisses, simul ad fortitudinis Coronam Heros adolevisses; arte bellandi exerceri, Gradivi exercitationibus perfectus reddi volueras. Extra Patrium solum in campo versari Martio, armaq; tractare in animum assumpseras: ne Domestica blanditiis fortuna ferreum in adversa pectus auro emolliret: & quò Tibi propiùs sol Regni Serenissimus affulgeret; eò gloriosiùs & Martio calore accenderis, & gloriæ nunquam extingvendæ luminè colluceres. Primos hujus Gloriæ radios in Te sparsit Serenissimus AUGUSTUS cum Te primum Regii lateris præesse stipatoribus voluit, tum Excubiarum Regni Præfectum imperavit. nunc Lublinensium terrarum Ductorem Palatinum statuit. Hi per venturas ætates perennaturæ laudis Tuæ Gradus sunt: magnanimitas, menti generosæ hanc imprimet veritatem: * *Vita brevis est, cursus Gloriæ sempiternus:* qua gloriâ velut stimulo immortali ad æviterna, laudum monumenta Tuum, urgebis animum.

L   Jam

* Cic. pro Sextio.

Jam ad quartum virtutum cardinem *temperantiam* videlicet, procedere Oratorem opus est. Quæ ut virtutum ità laudum tuarum cardo est, qui ad perennis Gloriæ aditum, limen referat, panditq; amplissimum. Magnam esse illius virtutis vim necesse est, quæ ipsi animo dominari possit; Namq; si magnum animi robur esse debet, quod totum hominem gubernet, eum contra sortis adversæ vices fortem reddat; quatenus in rerum tempestates, in pericula & vitæ discrimina se conjiciat magnanimus: quàm firmiore vi opus est, quæ animum, hominis rectorem moderetur? subjacet quandoq; etiam animus quantumvis generosus suis passionibus, immoderatis. Quæ si non coerceantur; ipsi quandoq; rationi repugnant, & sanas prudentiæ leges transgredi conantur. His ut modum ponamus, easdem ad leges Prudentiæ conformemus; domitrix passionum *Temperantia*, munus in se assumere tenetur. Virtus hæc æquè ac aliæ, Tibi propria est Celsissime Palatine: scilicet *ita* sedatas animi affectiones moderaris; ut etiam primos illius motus in potestate habere videaris. Quis enim animi impetus aliò Te tulit, quàm quo rectâ ratione ferri velles? nemo Te invidiâ moveri sensit, nemo ad iram concitari nisi cum Justitia demandaret; nemo a Te odio quemquam haberi vidit, qui in scelerum convictis, culpam odisti, non personam. Neq; verò terrenorum amore ducebaris, qui fortunam & auri munera, velut transeuntia bona diu tua intra limina subsistere minimè permittis; illaq; vel in sacrarum Ædium decorem, vel in pauperum levamen, vel in Religiosas domos, vel in amicorum officia liberali munificentiâ dispensari voluisti. Nullius rei desiderio tene-

ba-

baris, nisi quod veræ bonitatis speciem præseferret: non fluxas opes congregare, non ambire honores, non voluptati se dedere, non curiositati indulgere, cupiebas, sed omnes animi affectiones ad virtutis Regulas temperare laborabas. Sic dum ipsi animo dominari nôsti; invidæ mentis ardores temperare, fortes animi impetus coërcere; Temperantiæ virtute Te super cæteros commendari, dubium non est,

Ex dictis itaq; capitibus Te prudentiæ Gloriâ coronari, Justitiæ coronâ redimiri, Fortitudinis monumentis decorari, Temperantiæ decoribus insigniri concludit Orator: Hæ Principes ex reliquis virtutes, Te quoq; virtutum Principem effecêre. Hi omnium virtutum cardines ut Tibi ad Augustale Honoris panderetur limen adjumento fuêre. Apertum itaq; est: primis Te virtutibus exornari; prima quoq; iis præmia deberi; haud est ambiguum. Cùm verò virtutis præmium esse honorem, Natura demandavit; Principi etiam jus ad honores Natura concessit. Lublinensis munus Palatini Naturæ virtutisq; lege Tibi debetur, Senatorii fasces in virtutis præmium jure Tibi conferuntur. Deniq; rectè Honor Principi, optimè Princeps sociatur Honori.

Nè dicendi Genus immensum crescat; omitto hìc naturam Senatoris, quæ Senatus honorem optime Principi deferri ostendat. Si enim Senatoris est, optimè Regno prospicere, Consiliis Rempublicam moderari, rectæ rationis suffragio Patriam fulcire, sententiæ authoritate commune bonum tueri, deniq; Patrem Patriæ agere: Dominum Te consilii, Principem salutis mentisq; Publicæ, insita à Natura, Prudentia efficit: quodq; Plinius de Trajano hæc de Te Principe veriùs dicendum: * *Soli contigit Tibi ut Pater Patriæ esses, antequam fieres.* Ut enim pari Tecum

* Plin: in Paneg.

ætate a nullo Senatorias curules occupari ſcimus, ità in ſummi Publici boni cauſis, Principum negotiis, optimè Te Tuis conſiliis Patriæ proſpexiſſe, & ità Senatorem Te priùs egiſſe, antequam eſſes, non ignoramus.

Prætermitto munus Palatini explicare, quod optimè Honorem Principi jungi evincat. * Namq; ſi *judicandi, pænasq; decernendi rerum pretia ex æquo bono moderandi pretium & menſuram rebus conſtituendi Conſtitutiones Capitaneis formandi communi utilitati & juſtitiæ providendi* poteſtas eſt Penes Palatinos; ad id Te priùs Natura formavit, quam Sereniſſimus AUGUSTUS decreverit: (ut dicta non repetam) natam Tecum Juſtitiam Indoles Tibi donavit. Parco memorare finem & cauſam honori humano à Politicorum Anteſignano præſtitutum ** *cui Salus & utilitas Publica finis.* Remonſtraret ille Honorem optimè huic Principi Sociatum; qui Fortunæ Bona, vitamq; ipſam negotiorum mole à Principibus Regni Familiis gravatam, communi vtilitati & ſaluti Publicæ devovit. An ſalutem Publicam non meretur qui ut communi bono & utilitati Publicæ proſpiceret, viribus atterendis, vitæq; diſpendiis non parcebat?

Quem itaq; Honoris Natura ut virtutis præmium, Munus Senatoris ut Patriæ Patris, Officium Palatini ut Publici commodi juſti moderatoris, rectè ſibi junctum Principem probant; illum optimè Honori ſociatum quis diſſentiat?

Plaude igitur Polonia ad Feſtivos Patris Patriæ in Lublinenſem Palatinatum ingreſſus; plaude! Gratulare Honorem optimè Principi ſociatum, potius gratulare honori Principem donatum! magis tibi applaude! Illum Tibi virtus edidit, ſuperi conceſſerunt

Sena-

* Statut: Herburti p. 286. 287. 288. ** De magiſtrat: vet: Pop: Rom:

Senatorem; qui Pietate Filium, amore Patrem, sollicitudine Tutorem, vigilantiâ Custodem, zelô Propugnatorem, consiliô Tuum se servatorem exhibere statuit. Colet Te pia cordis propensi teneritudine ut Filius, fovebit beneficiorum sinu ut Filium Pater, anxiè providebit Tuæ integritati ut Tutor, vigil Te à malis præservabit custos, ab hostium impetu defendet ut propugnator; Consiliorum vi proteget ut servator. Plaude igitur Lechia! tantum Tibi Palatinum *gratulare! Gloriare tanto* Consule REX Serenissime, qui Lege Fidem, Fide Religionem, Religione zelum, zelô commune bonum, communi bonô Regnum, Regnô totô Fidelitatem Majestati promovebit, augebit, dilatabit.

Plaudite de tanto Collega Regni Proceres! Jungitur hic vobis Socius, non ut emineat, verùm eminet honore Consilii, ut vobis Fraterno nexu societur, vestramq; coronam exornet.

Plausus date Poloniæ Cives! Senatorem facit Lubomirius, nec tamen Vester Concivis esse destitit; qui Pater Patriæ fuit, antequam fieret; ac Principis dignitatem pari vobis familiaritate consentire laboravit.

Gratulare Tibi quoq; Universa LUBOMIRIORUM familia, vel certè, à nobis sinceram, & ex animo, gratulationem admitte:. Debentur Tibi istæ acclamationes festivæ, & cum singulis singulæ; & cum universis universæ. Debentur communes, ac præter has, particulares quoq; ad te referendæ sunt, & singulares. Etenim cum in cæteris, aliam & a-

M liam

liam lætitiæ causam suspicimus? in vobis, Principes semper magni elogiô universam. Vobis, & ea pars solatii, quæ Regi Augustissimo, quæ Senatui maximo, & quæ universæ Poloniæ, debetur. Plauditis jure merito, quòd è gremio Vestri, hunc, & Regum observantissimum, & Legum tutorem strenuissimum; & fidelissimum patriæ, & fidissimum Regibus concessistis. Plauditis, quòd Eum virum hodie nacti estis Senatorem, qui sapientiâ, consiliô, fide, fortitudine, Majorum vestrorum, suorumq; omnem implebit laudem, & in posteris suis accumulandam relinquet.

Tenè, non in consortium horum omnium applausuum (: quæ laudato Palatino in Consorte sua Nobilissima, pulcherrimo connubii fædere es sociata,:) præcelsa, maximisq; semper in Poloniæ Regno prælucens Titulis, KRASINSCIORUM Domus, Tenè inquam in horum consortium applausuum non invitem. Magno conjuncta es sangvini, & ipsa Magna; magno Palatino in magna Palatina, in Fæmina lectissima & omnibus majore elogiis. Suspiciunt cuncti, in hujus oculis & vultu singularem modestiam, in ore gratiam, in fronte Majestatem; explorant consilia, audiunt responsa, & admirantur. Animi candorem, sinceram voluntatem, humanitatem, affabilitatem, clementiam & benevolentiam Suam, universi eadem admiratione suscipiunt. Utq; universis est, gratissima, ita Cælo & Superis cara, in Eorum aras, religionemq; pia. Jstud de ea innuisse sufficiat, quæ communis constansq; perfertur fama: Se-

xum

xum, hæc, ſuis præſtantiſſimis animi dotibus, eſt ſupergreſſa.

Feſtivis vocibus acclama minima JESU Societas! Eum hodie adoras Palatinum, qui Fundatorii Nominis hæres, & Liberalis in Deum munificentiæ ac zeli pro Domo DEI eſt ſucceſſor, Jllum Tuum exiſtimationis Defenſorem, Religionis & Laboris Tutorem Benevolentiſſimum futurum ſpera.

Scande honoris Palatini gradum Celſiſſime Princeps, honore celſiorem aſcende Gloriam, ille vitæ inſerviet Tuæ, hæc poſt ſera fata vivere Te faciet. Tua *Gloria eſt illuſtris & pervagata multorum & magnorum* cum *in Cives,* tum *in Patriam,* tum *in omne Genus humanum fama meritorum.* Plaudit Patria, gaudet REX Sereniſſimus, lætantur Proceres, applaudunt Cives, acclamant feſtivè univerſi: minima JESU Societas LUBOMIRSCIANO devota Nomini, veſtrîs protecta & protegenda gratiîs gratulatur.